

Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO

Theologica Ordinaria,

De

HUMANAE
ANIMAE STATV

post mortem,

*In celeberrimâ VVittebergensi Academia
publicè proposita,*

à

NICOLAO HUNNIO,

SS. Theol. D. & Prof. Publ.

RESPONDENTE

M. ADRIANO STODERTO,

Dantiscano,

Ad diem 22. Iunij, in Auditorio Majore,

horis matutinis,


VVITTEBERGÆ, ~~MDCCXXII~~

Apud CASPARUM HEIDEN,

Typis CHRISTIANI THAM, Anno M. DC. XXI.

Coll. diss. A
83, 16

Sächs.
Landes-
Bibl.



In Nomine Dei Patris, & Fi-
lii, & Spiritus Sancti, Amen,

De

HUMANÆ ANIMÆ

STATU POST MORTEM,

THESIS I.



Quod Jehova de lege sua præcipit : Erunt verba hæc in corde tuo, & narrabis ea filius tuus, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, decumbens atq; surgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq; in fronte inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostio domus tuæ,

Deut. 6. v. 7. sq. id vel de solâ gnomo, & insigni axiomate Syracidæ, in omnibus operibus tuis memorare novissima tuâ, & in æternum non peccabis, cap. 7. v. 40. jure optimo præcipi potest.

II. Quamvis enim novissimorum meditatio non omninò coërceat delicta infirmitatis, nec pravas cogitationes è corde humano ad quævis pessima naturâ sua proclivi surgentes, compe-
scat, certum tamen est, eum, qui omnium suarum actionum, ac sui ipsius finem respicit, facile sibi temperaturum à peccatis, quæ ex negligentia judiciorum Domini, vel etiam temeritate, magno numero committuntur.

III. Testis est Salvator noster, mundum ideò sæviturum in Apostolos, quòd neq; ipsum, neq; patrem suum cælestem norint, Joh. 16. v. 3. & impius liberè peccat, quia in corde suo dicit, non est Deus, Psalm. 14. v. 1. h. e. Deum neq; observatorem, neq; ultorem scele-
rum credit, quod passim Spiritus Sanctus notavit, Psalm. 73. v. 11. Psalm. 94. v. 7. Syr. 23. v. 26.

IV. Ne ergò securitas viam peccatis aperiat, & januam par-
dat, necessarium est, frequenter memorari novissima, & confide-
rare, 1. quàm incerta & singulis momentis expectanda sit *mors*, la-
psus ille hominũ, in quo quaquaversum cecideris, illic æternum
jacebis, 2. quàm rigidum *judicium* immineat, in quod Deus addu-
cet omnia abscondita sive bona sint, sive mala, *Eccles. 12. v. 14.*
Rom. 2. v. 16. 2. Cor. 5. v. 10. ubi ratio poscetur omnis verbi ociosi,
Matth. 12. v. 36. 3. quàm severa eaq; æterna *pœna* sit parata iis, qui
in judicio illo condemnatoriam ac irrevocabilem sententiam
sunt audituri, & quanta *felicitas* parata his, qui in eodem judicio
tanquam servi boni, ac fideles intromittentur in gaudium sui
Domini. Quæ si ob oculos & mentem omnibus quovis momen-
to versarentur, jam multis delictis adempta esset sua, qua fruun-
tur, grassandi libertas.

V. E mediâ proinde Theologiâ thema nostrum desumitur,
quivis agnoscat, quod animam jam corpore solutam, & extra-
tempus in æternitate, eoq; statu, qui ipsi perpetuus futurus est,
viventem contuetur, ut quid post vitam præsentem (cujus fi-
nem nescimus, ut ne quidem de vespërâ, multò minus de crasti-
no quicquam certi nobis polliceri queamus) futurum sit, piè co-
gitemus, & piè vivere, ac beatè mori discamus: Id ergò in nomi-
ne Jesu, qui nostrum α & ω . aggredimur.

VI. Anima humana corpore soluta consideratur generali-
ter & specialiter; ad *specialem* tractationem nunc transire animus
non est.

VII. *Generalis* in iis tantùm laborat, quæ omni animæ hu-
manæ, cujuscunq; sit conditionis, atq; fortunæ communia sunt.

VIII. *Communia* omni animæ humanæ, petuntur, 1. ab essen-
tiâ, 2. ab actionibus, & passionibus 3. loco, sive $\pi\tilde{\rho}$, & recepta-
culis, in quæ à corpore solutæ transeunt.

IX. Circa ESSENTIAM tria quærentur: 1. *An humana anima*
post mortem corporalem reverà subsistat? 2. *An anima non ad tempus solùm,*
sed æternum duret, atq; existat? 3. *An quando homo dicitur existere, sem-*
An humana per intelligatur totum suppositum, an verò nonnunquam sola anima?
anima post mortem re- X. Circa primum quæsitum, tenemus affirmantem, ita
sentientes: *Nulla humana anima cum suo corpore interit, sed omnis*
verà subsistat post hominis solutionem superstes manet.

XI. Nonnulli gentiliū animam dixerunt mortalem, credentes eam unā cum corpore interire. Alij, Epicuri de grege porci, et si nomen Christianorum mentiti, id ipsum re & facto probantes, nonnunquam voce impiā proficientes, animam ē corpore migrantem distari tanquam levem auram sentiunt, quorum verba & mentis sensa notarunt Sap. 6. 2. v. 2, 3. & Apostolus 1. Cor. 15. v. 32.

XII. Huic non modò Christi Ecclesia semper opposuit affirmantē: anima post obitum hominis superest, sed quivis etiam sani gentiles, inq; his præcipuè Philosophi tantæ impietati reclamarunt, ducti propriā conscientiā, dictante, quòd Deus aliquando acta vitæ sit judicaturus, Rom. 2. v. 16.

XIII. Eorum verò sive gentiliū, sive falsorum Christianorum impietatem redarguimus; quia negatio existentiae animæ post hanc vitam, ut illi neq; reditus, neq; judicium sit metuendū, convellit, 1. Naturalē hominis conscientiā, quæ dicit homini peccatori in agone etiā constituto, & jamjam vivis excedenti severissimum judicium Dei, & atrocissimas poenas expectandas, neq; ex inani, & vano metu, sed ex lege divinitus mortalium cordibus inscriptā, Rom. 2. v. 15, 16. Si ergò verè expectatur judicium, & poena, verè etiam vita.

XIV. 2. Fidem Christianam, quam D. Paulus negat consistere cum negatione resurrectionis mortuorum, 1. Cor. 15. v. 14, 17. Unde colligitur, si corpus humanum non potest salvā fide Christianā, manere in terræ pulvere, multò minus poterit anima, eadem salvā, æternū interire.

XV. 3. Dei circa bonos & malos æquitatem, ac justitiā. Siquidem Deus est omnium in hoc mundo actorum justus iudex, Psal 9. v. 4, 8. Et verò juxta æquitatem, quam hominis conscientia dicit, & verbum ipsius Deut. 28. v. 1. seq. 15. seq. Matth. 5. v. 5, 6, 10, 11, 6, 11, v. 21. seq. 6, 18. v. 6, 7. Marc. 14. v. 21. Ro. 1. v. 18. 2. Cor. 5. v. 10. &c. confirmat, bonis debet esse benè, & malis malè; interim in hac vitā rem aliter se habere, & experientia testatur, & Deus ipse affirmat, Job. 21. v. 7. Ps. 73. v. 3. Matth. 10. v. 16. Job. 15. v. 18, 19. 1. Cor. 4. v. 7. seq. 2. Cor. 4. v. 8. seq. 6, 6. v. 5. seq. 6, 11. v. 23. seq. Heb. 11. v. 36. seq. Utiq; aliud Dei judicium,

alia fortuna bonorum & malorum, ergò & alia vita posthanc, est expectanda.

XVI. 4. Consolationem piorum in ærumnis, præcipuè in morte. Si enim per omnem vitam calamitatibus fuerunt subjecti, & in morte (hostium sævissimo, & ultimo) nullum solatium ipsis superest, præter æternum interitum, non erit homo pius melioris fortis, atq; bruta laboribus continuis enecta, aut hominum nequissimi, qui & ipsi adversâ sorte sunt usi, deterioris verò, quàm homines impii, qui suaviter vixerunt, imò quàm bruta, quæ citra labores quotidianum victum, necessarium, interdum abundantem habuerunt, si verò neq; hujusmodi brutis mors potest esse verum, vivum, atq; solidum solatium, sed neq; hominibus impiis, quomodo pii præ malis singularem consolationem inde haurient?

XVII. 5. Terrorem, impios à viis suis pessimis abstrahentem: Deus peccantes terret maledictione, quæ quia sæpè pessimos in hoc mundo non ferit, nisi morte inopinâ, & subitaneo interitu, fit, ut magis occasionem hinc sumant luxuriandi, & judicia Dei contemnendi, *Sap. 2. v. 1 seq. 1. Cor. 15. v. 33.* Itaq; verus terror non est; si alia vita expectanda non est.

XVIII. Concludimus, Negationem existentia animæ post hanc vitam, ut illi neq; reditus, neq; judicium sit metuendum, esse maximè impiam & homine Christiano indignissimam.

XIX. Exurgunt verò, qui Christi nomen professi à quodam antiquo hæretico *Photiniani* dicuntur, & non absimilem doctrinam in theatrum Ecclesiæ producunt, quamvis maximè trepidant, & quod revera sentiunt, profiteri non audeant.

XX. Conqueruntur quidem, injuriam sibi fieri, si dicantur asserere, *animas hominum una cum corpore perire, & ante resurrectionem non esse*; *Smalc. de natur. Dei fil. cap. 7. pag. 56 hominem mori quoad animam & quoad corpus, Smalc. cont. D. Frantz. disp. 7. poster. pag. 409.* Interim hoc negotium ita tractant, ut, si istius erroris non convincuntur, at tamen de illo non præter rem & meritum suspecti habeantur: si quidem

XXI. 1. Ambiguè loquuntur, dum omnes dicunt, Spiritum reverti ad Deum, qui dedit eum; nullus tamen omnium

um

um explicat horum verborum sensum, sed in ambiguo hæere malunt, quàm opinionem profiteri.

XXII. 2. Affirmant animas superesse quidem, sed suo modo. Smalc. contr. D. Frantz. disput. 7. post. pag. 410. Nemo autem explicat quid hoc sit dictum, velintne animas esse penes Deum, actu existentes, an verò in potentiâ divina, per quam possunt suo tempore ad existendum revocari.

XXIII. 3. Affirmant, eum etiam superesse & vivere, qui secundum partem suam potissimam superest, Smalc. de Nat. Dei fil. cap. 6. pag. 43. vicissim, mortuum juxta nullam partem superesse, Smalc. cont. D. Frantz. disp. 7. poster. pag. 411. ergò, si mortui non vivunt, & nulli sunt, etiam quoad animam erunt mortui, & nulli.

XXIV. 4. Negant, sanctos esse. Smalc. Nov. monst. cap. 3. pag. 35. Ita loquitur (Smiglecus) *ac si jam constet, sanctos R E-
VERA NVNC ESSE, & esse in cælis, cum tamen id non tantum
falsissimum sit, sed etiam longè absurdissimum. Scriptura enim sacra con-
ditionem omnium hominum mortuorum describit per id, quod NON
SINT; & iterum ipsos, ipsos inquam, non partem ipsorum, tunc & ita
extituros esse docet, cum eos resurrecturos ex mortuis testatur: & inferius;
Sanctos quos invocant Pontificij, ait: NVLLOS ESSE.*

XXV. Quamvis autem videantur, non negare, animas, tanquam partes sanctorum vivere, sed sanctos ipsos., at tamen norunt ipsi, neq; Pontificios, nec alium quemquam, integris *ὁμοιωσις* Abrahamæ, Davidis, Pauli, Mariæ, &c. ante resurrectionem ex mortuis vitam tribuere. Ideò, dum negant sanctos vivere, aut inaniter in re tantum momenti & equivocatione ludunt, aut sanctos animâ sua vivere negant.

XXVI. 5. Negant Christum post mortem vixisse: sic Smalc. lib. 1. de error. Arian. cap. 14. In ista conclusione sunt due vitia magna. Vnum est, quod asserit (Smiglecus) Christum post mortem vixisse; quæ manifesta est contradictionis implicatio.

XXVII. 6. Operosè respondent ad ea loca scripturæ, quibus nil nisi animæ existentiam post mortem, probare laboramus, & sollicitè cavent, ne cogantur largiri
id,

id, quod exinde nos ducimus, vid. Smalc. contr. D. Frantz. disp. post. 7. pag. 410. seq. lib. 1. de error. Arian. cap. 14. pag. 148. seq. quo quid esset opus, si nobiscum in hoc themate facerent?

XXIIX. 7. Dogma de vitâ sanctorum (quoad animam aliam enim nemo proficeretur) *reijciunt tanquam doctrinam Pontificiam & erroneam. Pontificiam* : ut scribit Smalcus lib. 1. de error. Arian. cap. 9. v. 78. *mitto nunc illud &c. Erroneam*, quia hoc thema (*sanctos nunc vivere*) retulit Smalcus in Catalogum errorem Smigleciij, quos ipse defendere quidem velit, in æternam autem non possit, *præfat. in lib. de errorib. Arian. num. 53.*

XXIX. Quod autem anima statim post mortem actu subsistat, & ne quidem, sic intereat, ut actu quamprimum à corpore solvitur, existere desinat, (licet non dici debeat omninò in nihilum abjisse, quòd suo tempore sit ad vitam revocanda, & corpori unienda;) confirmant.

XXX. 1. Planissima verbi divini pronunciata, quæ triplicia, 1. *clare asseverationes*, 1. Sam. 25. v. 29. *si surrexerit homo sequens te, & querens animam tuam, erit anima Domini mei colligata in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum*, Sap. 3. v. 1. *Iustorum anime sunt in manu Dei, & non tangit illas tormentum*, Eccles. 12. v. 7. *pulvis revertitur in terram suam, unde erat, & spiritus redit ad Deum qui dedit illum*, Luc. 20. v. 37. 38. *Moses dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob, Deus non est mortuorum, sed viventium, omnes enim vivunt ei*, Matth. 10. v. 18. *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.*

XXXI. 2. Parabolicæ explicationes; Luc. 16. de Epulone, & Lazaro dicitur, quòd hujus quidem anima statim à morte in sinu Abrahæ, illius autem in flammam infernales transferatur. Etsi verò nondum evictum sit, quòd hic nuda parabola, non autem vera historia recenseatur, nunc tamen ponimus eam parabolam, & nihilominus veritatem rei exinde ducimus; siquidem, 1. Christus parabolas desumpsit à rebus, quæ aut actu in rerum natura sunt, aut aliquando contingunt, nusquam à figmentis, quæ neq; actu sunt, neq; contingenter eveniunt. 2. Si ipsi narrationi non inesset veritas, accommodatio illius danda esse

esse

esset ad rem aliam, quam ceu scopum sibi præfixit hæc parabola, sed illa vix unquam dari poterit. 3. cùm instituat^{ur} ἀντιθέσις inter divitem & pauperem, in hoc præcipua pars oppositionis consistit, quòd utriusq; fortuna in ipso mortis articulo in contrarium mutatur, eaq; mutatio contingit in animâ, nec ad tempus usq; resurrectionis differtur. 4. nec quicquam diversum ex solido fundamento probari potest.

XXXII. 3. Visiones: vidit Johannes sub altari animas interfectorum martyrum Jesu. Apoc. 6. v. 9. cui visioni nulla veritas subest, si omnimoda animarum existentia negatur.

XXXIII. II. Certissima exempla. 1. Spirituum eorum, qui tempore Noë increduli erant prædictioni venturi diluvii, illis enim in carcere detentis Christus jam ex mortuis redivivus prædicavit. 1. Petr. 3. v. 19. 20. 2. Latronis cum Christo crucifixi, quem Christus his verbis consolatur, Luc. 23. v. 43. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. 3. Anima Christi, quam moriens commendavit patri cœlesti in manus, v. 46.

XXXIV. Quicunq; autem 1. in carcere detinetur, 2. audit Christum prædicantem, 3. est in paradiso. 4. & in manu cœlestis patris hunc oportet esse actum.

XXXV. Nihil verò agit Smalcius, dum disp. 7. post. contra D. Frantz. excipit. 1. legendum esse, dico tibi hodie, mecum eris (post resurrectionem mortuorum) in Paradiso: non, dico tibi, hodie mecum eris &c. cùm nequeat probare, quod dicit. 2. Animam Christi die mortis ejus fuisse in inferno, itaq; non in Paradiso; quia per nullum idoneum argumentum potest probari, quòd Christus animâ sua die mortis fuerit in inferno, & Christus ipse animam suam commendavit in manus patris, quæ certè non sunt infernus.

XXXVI. III. Piorum vota. Desiderarunt sancti liberari è corpore, non ad hoc, ut non sint, sed ut sint cum Deo, cum Christo, & gaudio perfecto atq; sempiterno fruantur. David, Psal. 31. v. 6. In manus tuas commendo spiritum meum, Psal. 42. v. 2. Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Apostolus Paulus Philip. 1. v. 23. cupio dissolvi, & esse cum Christo. Stephanus protomartyr. Actor. 7. v. 59. Domine Jesu suscipe, spiritum meum.

XXXVII. Certè; quod 1. est in manu DEI, 2. apparet ante faciè
DEI, 3. est cum CHRISTO, & à CHRISTO in beatitudinem paratam
suscipitur, id minimè potest esse non ens. Hæc de primo quæsito.

2. *Questio:*
An Anima
non ad tem-
pus solum,
(ad æternū
duret, atq̄
existat?)
XXXIX. Quoad secundum quæsitum; *An anima*
non ad tempus solum, sed æternū duret, atq̄ existat? Statuimus, requi-
rere fidem Christianam, ut anima, postquam è corpore discessit,
non modò ad tempus vivat, aut aliquando reviviscens, post exi-
guum temporis spatium denuò evanescat, in æternum non redi-
tura; sed ut existens à solutione corporis nunquam vivere ac du-
rare cesset.

XXXIX. Et hic omninò putamus, Photinianos in negan-
tem abire; nam, etsi animabus fidelium (forsan in resurrectione
mortuorum ad vitam revocandis) æternam vitam tribuant,
non tamen hanc sortem omni humanæ animæ communem cre-
dunt, nam reprobos æternæ morti adjudicatos æternū mori-
turos, hoc est, in nihilum redigendos, & animâ ac corpore evan-
turos statuunt.

XL. Nolumus illis quicquam iniquius imputatum, culpa
autem ipsorum est, qui animi sui sensa formidant apertius pro-
loqui; sic enim ex propriis eorum verbis illos judicamus: do-
cent enim 1. solos pios æternū victuros, (quod non de statu, &
felicitate, sed substantiali esse, seu existentia intelligunt) *Smalcus*
disp. 7. poster. pag. 409. 410. solos pios victuros in æternū, nonnè est
petitum ex penetrabilibus sacrarum literarum, quæ sola vitæ promissio-
ne solantur fideles? si opera carnis spiritu interemeritis, ait Pau-
lus, vivetis: Quod idem millies alibi etiam invenitur. Jam si quis
hinc colligat, impios æternū non victuros, id non nostræ sen-
tentiæ, sed sacris literis potius ascribendum esset. Cùm porro
de interitu vel judicio dæmonum legitur, nonnè delendos eos
esse, hinc jure colligi potest?

XLI. 2. Damnationem esse perditionem & interitum,
non autem cruciatum, *Smalcus contra D. Frantz. disp. 7. poster.*
pag. 414. Damnationem infernalem putat esse perditionem non
cruciatum; Locus Matth. 10. perditionem tantum animæ in Gehenna,
non cruciatum denunciat.

XLII. 3. Negant animam, quæ in gehennam conijcitur,
posse immortalem esse, *Smalc. contr. D. Frantz. pag. 412. Anima au-*

tem quæ idem est, quod spiritus, in gehennam conjici non potest, cum ad DEUM redeat, qui eam dedit, & sit immortalis.

XLIII. 4. Ignem damnationis dicunt æternum, non ratione continuati cruciatus, sed ratione effectus, qui æternus est, licet causa æternum non duret. Smalc. contr. D. Frantz. pag. 414. Ignis, Marc. 9. 44. inextinguibilis dici potest, quomodo etiam ignis, quo Sodomæ exusta est, æternus appellatur, cum tamen hodie is nullus sit, quia scilicet æternum exitum attulit isti civitati.

XLIV. 5. Absurdum judicant, si impii dicantur immortales in opprobrium æternum. Smalcus contra D. Frantz. pag. 415. Quàm absurda sit sententia Frantzij, vel illud docere potest, quod fateri cogitur, impios futuros etiam immortales, nempe in æternum opprobrium. Hoc verò nec usquam sacræ literæ comprobant, nec quicquam ex ijs afferri posse, videtur, unde sententia illa probari possit.

XLV. Relinquimus autem adversarijs liberum, ut mentem exponant rectius, statuantne, animas impiorum protinus deleri, quo modo illi moriuntur, an verò ad extremum usq; judiciū manere superstites, & auditā demum judiciariā sententiā, in æternū evanescere, quando in stagnum ignis & sulphuris missi fuerint.

XLVI. Si amplectuntur sententiam priorem, errorem jam confutatum habent, quando cum Epicureis fuit negotium; si posteriorem, pugnant cum descriptione damnationis passim per scripturam conspicuæ; siquidem notatur illic.

XLVII. 1. *Æternarum poenarum continuatio.* Momentanea damnatorum annihilatio, & evanescencia nusquam scripta legitur; mors enim, qua dicuntur perire, non est interitus substantialis, sed cōditio miserrima longè deterior morte, qualiter in peccatis omnes erant mortui, Eph. 2. v. 5. 7. Col. 2. v. 13. Apo. 3. v. 1. & fortuna adversa solet mors nominari, Exod. 10. v. 17. quia melior est mors, quàm vita ærumnosa, Sir. 30. v. 17.

XLVIII. Aliàs continuatio poenarum docetur, quoniam illæ cōparantur igni, non celeriter consumenti, sed continuè duranti, imò inextinguibili, Matth. 3. v. 12. c. 18. v. 8. 9. vermi corda rodenti Esai. 66. v. 24. Marc. 9. v. 44. vermis eorum non morietur. Continuatio autem poenæ infert continuationem τῆς εἰσῶς subjecti patientis.

XLIX. Imò, gravissimam esse pœnam infernalem, ponimus extra dubium. Ea verò maximè exasperatur sua duratione, sicut omnis pœna tantò est mitior, quantò brevior, quemadmodum beatitudo sanctorum vel ideò est longè maxima, quia æterna, alioqui tanti non faciendâ.

L. Certum verò est, quousq; durat pœna, propriè dicta, & quidem talis, quæ puniendum sensu mali afficiat, tamdiu rem quoq; ipsam durare.

LI. Infernalis autem pœna æterna est, & talis, quæ sensu mali damnatos, & consequenter, horum animas afficiat, Matth. 25. v. 41. 46. *Discedite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus, v. 46. & ibunt hi in supplicium æternum, Esa. 66. v. 24. Marc. 9. v. 44. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, 2. Thessal. 1. v. 9. pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, &c. Apoc. 20. v. 10. Diabolus missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestia, & Pseudopropheta cruciabuntur die & nocte in secula seculorum.* Quare & eos, qui pœnas hæc sustinent, æternum oportet durare ac permanere.

LII. 2. Conditionis damnatorum cum aliis malis comparatio. Interitum Judæ miserrimum prædixerat ipse Christus, his verbis: *Væ homini illi, per quem Filius hominis traditur, bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille, Matth. 26. v. 24.* pœnam eorum, qui bonos, imprimis parvulos scandalizant, per comparationem ostendit, *Matth. 18. v. 6. qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.*

LIII. Pœna offendentium parvulos mitior est, pœnâ Judæ proditoris; Sed pœna, quâ subire jubebuntur scandalizantes, gravior est eâ, qua damnati evanescent; ergò multò magis pœna proditoris, gravior erit eâ, quâ damnati evanescent; cum verò utraq; & proditoris, & scandalizantis pœna multò sit acerbior, eo interitu, què Photiniani jubent impios expectare, certè, non poterit damnatorum pœna esse evanescentia, aut in nihilum redactio.

LIV. 3. Damnationis effectus, & operatio, quam assignamus quadruplicem: 1. *moriendi desiderium*, quando venerit filius hominis judicatum vivos, & mortuos, dicent impij
monti-

montibus & petris, cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ illius. 2. Plagas, Luc. 12. v. 47. Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & se non preparavit, vapulabit multis, &c. 3. Sempiternum tormentum, Apoc. 14. v. 11. sumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum. 4. fletum, & stridorem dentium, quem Christus damnatis aliquoties tribuit Matth. 8. v. 12. cap. 13. v. 42. 50. cap. 22. v. 12. cap. 24. v. 51. cap. 25. v. 20. Luc. 13. v. 28.

L V. Quisquis, 1. mori desiderat, 2. sentit autem plagas. 3. sempiterna tormenta, 4. fletu & stridore dentium suum dolorem testatur, is utiq; non abiit in interitum substantialem, sed æternum manet superstes. Damnati mori desiderant, sentiunt plagas & sempiterna tormenta, suumq; dolorem fletu, ac stridore dentium testantur, quare damnati non abierunt in substantialem interitum, sed æternum manent superstites.

L VI. 4. Graduum damnationis variatio. Gradus fore damnationis, Christus luculenter testatur Matth. 11. v. 22. Tyro & Sidoni remissus erit in die iudicii, quam vobis, (Chorazin & Bethsaida) v. 24. dico vobis, terræ Sodomorum remissus erit in die iudicii, quam tibi. (Capernaum) Luc. 12. v. 47. 48. Servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis; Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Matth. 23. v. 15. Væ vobis scribe, &c. qui circumitis mare, & aridam, ut faciatis unum profelytum, & cum fueris factus, facitis eum filium gebennæ duplo magis, quam vos.

L VII. Exinde enim sic licet argumentari: Pœna damnatorum variatur gradibus: mors illa seu perditio, & annihilatio non variatur gradibus, (quod agnoscunt adversarii, Smalcus enim ponit, ut principium, quod in inferno nulli sint gradus damnationis, contr. D. Frantz. pag. 414. scribens: duplicitas autem ista (Matth. 23. v. 15.) manifestè docere potest, sermonem hunc esse figuratum, cum in cruciatibus æternis nulli dentur gradus) ergò pœna damnatorum non est illa mors, seu æterna annihilatio, &c.

L IIX. De quæsito tertio, & postremo, An, quando 3. Quæstio: homo dicitur existere, semper intelligatur totum suppositum an verò non. An, quando

dicatur ho- nunquam sola anima? Photinianos differentes jam antè audivimus,
mo existe- quantopere urgeant, sanctos non esse, nisi anima insit corpori,
re, nonnun- quòd non anima sed compositum ex animâ & corpore, sanctum
quam intel- aut hominem constituat: nolumus huc repetere ipsorum pro-
ligatur sola nunciata.

anima?

LIX. Nos ita sentimus: vel decidenda est quæstio ex rigore
Philosophico, vel ex communi usu linguæ, cum primis verò sacra
Scripturæ: si *priore* sensu, largimur utraq; manu, partem nunquam
fieri ipsum totum, nec Abrahami animam, totum Abrahamum.

LX. Interim hoc unicuique considerandum damus, annon
anima à vinculis corporis liberata, dici possit suppositum? siqui-
dem actu existit extra suas causas, nec tamen existit dependenter
ad modum partis, sed independenter, ad modum totius, non ob-
stante naturali propensione, qua putatur anima desiderare uniti-
onem cum corpore, quemadmodum corpus, animâ discedente,
cessat esse pars suppositi, sed fit ipsum suppositum, quantumvis
corpus naturaliter propendeat in unionem cum animâ.

LXI. Quòd si enim corpus fit totum *ἡ ψυχή μόνον*, postquam
discessit anima, multò magis anima, tanquam potior pars ho-
minis, fiet suppositum, quando à corpore fuerit separata, & quia
est suppositum, vivum, rationale, persona erit.

LXII. Obtento ille, (quod tamen accuratius expendendum
Philosophis relinquimus) statuimus, Abrahami animam mere-
ri appellari Abrahamum, aut alio personali nomine designari;
nec dubitamus, Schôlas Philosophicas affirmantem unâ nobis-
cum approbaturas.

LXIII. Si autem *posteriore* sensu, putamus omninò, cujus-
vis vocis & phrasæ usum observandum, præsertim, si in certis
disciplinis aliud & aliud significet, cum enim voces usu valeant,
ex usu etiam verè æstimantur: Atq; sic rem considerantibus pa-
tet, magis de nomine, quàm de re quæstionem institui; de qua
planè asseveramus. 1. ex communi usu linguæ, 2. proprio usu scri-
pturæ. 3. nec non doctrinæ Ecclesiasticæ, animas defunctorum,
designari nominibus personarum, quarum constitutivæ partes
extiterunt, & aliquando nominato supposito, intelligi solam ani-
mam.

LXIV.

LXIV. 1. **Communi usu linguæ.** Namq; autores prophani synecdochicè *corpus* notantes, totum *hominem* nominant; Ovid. 2. *Metamorph.* in epitaphio Phaëtonis: *Hic situs est Phaëton,* cujus solum corpus illic situm erat. Virgil. 1. *Æn.* *Men' Iliacis occumbere campis non potuisse,* & c. *Sievus ubi Aeacida telo jacet Hector, ubi ingens Sarpedon.* Vicissim *animam* dicunt totum *hominem.* Cicero de *Senectute*, circa fin. *O præclarum diem, quum ad illud ANIMORUM concilium, ceterumq; proficiscar, proficiscor enim non ad eos solum VIROS (viros, quos modò dixit animos) de quibus antè dixi, sed etiam ad Catonem meum,* (ad cujus animum tantum perventurus erat. Idem *ibid.* *Ego vestros patres (jam defunctos) vivere arbitror, & ea quidem vitâ, quæ est sola vita nominanda.* Homerus *odys.* λ. v. 89. *πεν τεπεισίαο πυθέσθ' antequam Tiresiam audirem* (de anima loquitur, quod v. 90. declarat *ἦλθε δὲ ἐπὶ ψυχῆν ἑβόας τεπεισίαο, supervenit autem anima Thebani Tiresiæ)* Plato in *Alcibiade pri.* disertè inquit *ἡ ψυχὴ ἐστὶν ἀνθρώπου.* Sed in re certâ & manifestâ quid opus cumulare testimonia?

LXV. 2. **Usu scripturæ;** quo Abrahami, aliorumq; sanctorum, & beatorum animabus tribuuntur propria, & accidentia, nec non alia prædicata non nisi personis competentia, & quæ animabus tribuuntur non aliter, ac si de totis suppositis efferrentur, *Matth.* 22. v. 32. *Luc.* 20. v. 38. *Abraham, Isaac & Jacob, vivere dicuntur,* quod de solis suppositis dici non potest. *Luc.* 23. v. 43. promittit Jesus latroni, *hodiè mecum eris in Paradiso,* non certè juxta corpus & animam, sed animam solam, interim hoc, quod solius est animæ, enunciatur de tota hypostasi latronis. *Luc.* 16. v. 22. Lazarus portabatur ab Angelis in sinum Abrahamæ, (intelligitur de sola animâ) dives sepultus fuit, *ibid.* cum solum corp⁹ sepeliretur: unde non obscure colligitur, animam sumi loco totius suppositi.

LXVI. Confirmat hunc usum, quòd scriptura de homine enunciat id, quod soli corpori convenit, ut, sepultura mortuorum; dum enim *corpus* sepelitur, dicitur sepeliri *homo*: *Abraham* sepultus est in spelunca duplici, *Gen.* 25. v. 8. *Sara* sepulta fuit, *Gen.* 23. v. 19. *Isaac* sepultus fuit, *Gen.* 35. v. 29. Similiter homo ille, qui Dominum *JE SUM* constituerat sequi, cupiebat dimitti, ut sepeliret *patrem* suum, *Matth.* 8. v. 21. quem utiq; non vivum sepulturus erat, sed corpus ejus *exanime*; Quòd si ergò synecdo-

che ista in corpore vitâ experte, idcirco ignobiliore parte hominis, locum habet; quidni in vivente & nobilissima parte (animâ) quæ totum hominem multo perfectius representare potest.

LXVII. 3. Usu Ecclesiastico; in quem finem è patrum monumentis quamplurima possent proferri, sed in re omnibus notâ id supervacaneum videtur. Sola disputatio de sanctorum veneratione adversus Pontificios jam per integrum seculum continuata, testari potest, nomine *sanctorum*, item, *Petri, Pauli, Maria*, aliorumq; beatorum, nihil intelligi aliud, quàm illorum animas; Quisquis ergo contra usum adeò probatum, & receptum, subtilem speculationem urget, is extra disputationis limites vagans Elenchi ignoratione peccat, & nimium acutè rem tractans intempestivam sapientiam, hoc est stoliditatem, & iudicii defectum prodit.

LXVIII. II. STATUS aut FORTUNA animarum, consistit in actionibus aut passionibus; de quibus quæritur. An animæ separatae, quidpiam agant, & patiantur, & quæ nam actiones & passiones illis tribui debeant? Circa quod quæsitum peccatur in defectu & excessu, dum quidam animas separatas faciunt planè ociosas, alii nimium negotiosas.

4. *Questio:* LXIX. Ociosas efficiunt Photiniani; dum illas sensu, loquelâ omniq; operatione privant; Negotiosas Pontificii, dum animæ ita eas sentiunt viventium acta & fortunam cernere, curam illorum sint ociosæ, gerere, pro ipsis intercedere, apparere, & viventes de doctrinâ ut neq; quid fidei, & statu alterius vitæ erudire.

agant, neq; LX X. Photiniani (si modò vitam tribuunt animabus,) unâ cum Anabaptistis eas dormire sentiunt, ut quasi mortuæ sine sensu, motu & operatione, diè iudicii expectent, quo corporibus reddendæ sint, & à somno suo resuscitandæ. Et initio quidem, patiantur? rem istam vocant in dubium, Smalcus contr. D. Frantz. disput. 7. poster. pag. 409. *An spiritus ille, qui ad DEUM redit, & à corpore separatus est, sensu aliquo præditus sit, & an voluptate aliqua fruatur ante adventum CHRISTI, & ante conjunctionem istam novam spiritus cum corpore glorificato, quod DEUS olim daturus est credentibus, valdè dubita-*

mus,

mus, imò aliter rem se habere, credimus. Nempe, quemadmodum corpus sine spiritu cadaver est, sic vicissim spiritum sine corpore nullas actiones exercere posse. Idem Exam. 157. error. pag. 49. An post reditum illum ad DEUM aliquid sentiant, vel aliqua voluptate fruantur, quia scriptura, non testatur, jure dubitari dicimus.

LXXI. Deinde; quod modò vocabant in dubium, mox inficiantur profus, Smalc. exam. 157. error. errore 98. Quomodo verò videant (animæ sanctorum) Deum, cum aliud quid videre nequeant, & sensu, dum sunt sine corpore, careant? Idem lib. 1. de error. Arian. cap. 14. pag. 147. Vivere animam, ambigè dicitur. Eatenus enim tantum vivere dici potest, quatenus est aliquid incorruptibile naturâ sua; vel, quòd olim reddenda sit fidelibus in adventu Christi: Rursus verò, quia actiones nullas sine corpore exercere, nec ulla voluptate frui potest, non isto modo vivere, dici potest, quo ea vivunt, quæ per se existunt, ut Angeli. Angeli enim substantiæ sunt spirituales, integræ, & perfectæ; anima verò integri pars est. Et si ea vivendi ratione animæ mortuorum viverent post mortem, certè mortui non haberent, quod valdè cuperent ex mortuis resuscitari. Nam ut Angeli in corpore suo spiritali fruuntur perfectissimis voluptatibus; sic & animæ fruuntur. Idem contra D. Frantz. pag. 412. Anima Pauli à morte, usq; ad illum diem, (ultimum) nulla voluptate fruitur, pag. 413. Vox animabus nulla competere absq; corpore potest.

LXXII. Operationes animæ sunt vel naturales, nutritio imprimis ac generatio, & quæ aliæ his serviunt, quas nolumus animæ separatae attribuere, quia corpus in illis habet vicem materiæ, & patientis subjecti, sine quo nulla est agentis operatio.

LXXIII. Vel animales, sensus nim. cum interni, tum externi; quorum quidem aliquos omninò credibile est, nihil operari, imprimis crassiores sensus, tactum, gustum, olfactum; alios autem credibile est, operari, sensus interiores, & externos spiritaliores, visum & auditum, non possumus tamen divinæ bonitati ac severitati hæcenus quicquam præscribere, ideò neq; certò operationem facultatum animalium tutò affirmare, vel tutò negare, cum noster sensus, aut discursus eò usq; se non extendat, neq; revelatio aperiat ea, quæ mentis sensuumq; aciem subterfugiant, quousq; malumus ἐπέχειν, quàm asseverare, quæ probare

C

bare

hære nequimus. Propterea certò dicere non possumus, quòd anima humana vocem propriè dictam formet, edatq; , licet hoc non unam ob causam sit satis probabile.

LXXIV. *Vel rationales*; intellectus & voluntas; de quibus judicant Philosophi, quod animâ in corpore vivente, nihilominus sint inorganicæ, hoc est, quamvis organis corporeis utantur in præparatione eorum, quæ ad futuram actionem sunt necessaria; In sua tamen operatione nullum instrumentum corporis adhibeant; quod si ita, ut aliter se habere non videtur, nihil planè obstat, quò minus anima corpore soluta sine organis operetur, quæ in corpore existens, sine organis fuit operata.

LXXV. Ut verò duplices sunt dolores, atq; voluptates hominis, quædam corporeæ, ortæ ex objecto sensibili, primò corpus, secundariò animam tangentes, & mediantibus sensibus, sive externis, sive internis eam afficientes; quædam spirituales, primò animam tangentes, consequenter corpus, ortæ ex objecto spiritali, sive intelligibili, sive volibili; sic planè existimandum est, etiam si voluptas aut dolor prioris generis non tangat animam, eam tamen affici voluptate, ac dolore prioris generis.

LXXVI. Indefinitè igitur, & abstrahendo, qualis animæ dolor, aut voluptas intelligatur, eam è corpore discedentem, voluptate aut dolore pro diverso suo statu affici, omninò asseveramus; siquidem.

LXXVII. 1. Nulla est idonea negationis ratio: Cum enim quisq; naturâ doctus præsumat, animam, ubi ubi est, agere & pati, præsertim, quia angelici spiritus (quibus anima conditione naturæ est similis) sine corporis organo gaudio celesti fruuntur, & infernalibus tormentis cruciantur, adeoq; sensu, voluptate, & dolore non minus afficiuntur, ac si corporibus essent vestiti; ideò cõtra hanc præsumtionè neganti probatio incumbit.

LXXVIII. Nolumus verò tangere absurdum pronunciatum Smalcij dicentis, *angelos in corpore suo spiritali frui perfectissimis voluptatibus*, cum spiritus aliter definiri non possit, quàm per negationem constitutionis corporeæ, Luc. 24. v. 39. & nusquam legatur per universam scripturam, angelos gestare corpora, & quidem spiritalia.

LXXIX.

LXXIX. *Rationes negationis tres ab eodem autore productæ, nullius sunt ponderis. PRIMA: Quemadmodum corpus sine spiritu cadaver est, sic vicissim, spiritus sine corpore nullas actiones exercere possunt; principium petit, nec minus, ac ipsa conclusio, in dubio versatur.*

LXXX. *SECUNDA, mortui non haberent, quod valdè cuperent ex mortuis resuscitari; fundamento necessario caret, nam primùm probandum est, hoc animarum desiderium adedò esse vehemens, & urgens, imò, si esset tale, haberet omninò conjunctum dolorem. 2. Animas ideò expetere conjunctionem cum corpore, ut voluptate fruantur, cum potior ratio istius expectationis esse videatur naturalis ad corpus inclinatio, & desiderium in eandem felicitatem illud perducendi. TERTIA; Scriptura id non testatur; nunc pluribus confutanda superest.*

LXXXI. *ii. Scriptura conditionem animarum beatarum & damnatarum describit à sensu, voluptate & dolore. Beatarum 1. Per negationem doloris, Sap. 3. v. 1. non tanget alas tormentum, Apoc. 14. v. 13. beati qui in Domino moriuntur à modo, iam dicit Spiritus, requiescunt à laboribus suis. 2. Per positionem gaudij, & felicitatis, Luc. 16. v. 25. Lazarus hic (in sinu Abrahamæ) consolationem accipit.*

LXXXII. *In specie triplex est hoc gaudium, 1. Ab aspectu Dei non tremendo illo, quo cruciantur damnati, Apoc. 6. v. 16. Sed læto, quo reficiuntur angeli & sancti. Ubi Dei aspectus gloriosus, illic abundantia gaudij, Psalm. 16. v. 11. Matth. 17. v. 4. ideò felicitas sanctorum angelorum vel eo aspectu DEI notatur, Matth. 18. v. 16. angeli in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est; & sancti cœlestem beatitudinem optantes, Dei aspectum optant, Psal. 42. v. 2. quando veniam, & apparebo ante faciem Dei, I. Cor. 13. v. 12. Videmus nunc in enigmate, tunc à facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Animæ autem beatæ vident faciem DEI, ante resurrectionem universalem, Apocal. 4. v. 4. 6. 5. v. 8. &c. viginti quatuor seniores stant ante thronum DEI & agni, hymnum ei dicentes, &c. capit. 7. v. 14. 15. animæ martyrum, quæ venerunt de tribulatione magna, sunt ante thronum DEI, & serviunt ei die ac nocte, in templo ejus, &*

qui sedet in throno, habitat super illas, *cap. 14. v. 4.* sequatur regnum, quocunq; jerit. Congruit illud cum promisso Christi, *Joh. 17. v. 24.* *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi:* nempe claritatem è ejus qualicunq; intuitu ineffabile gaudium concipiebant discipuli Christi, *Matth. 17. v. 4.*

LXXIII. 2. A victoriâ, & triumpho super hostes devictos; *Apoc. 12. v. 10.* *Ἰνίκιον* canunt animæ beatorum martyrum, quòd ipsorum accusator est projectus; Quamvis autem illic, ut & in similibus locis apocalyptiis, visiones exhibentur, ut omni ex parte literam urgere, fas non sit, attamen sic eas oportet interpretari, ut in principali negotio verus aliquis sensus maneat, nec visiones sensu destitutæ, imagines variæ, nobisq; inutiles maneant.

LXXXIV. 3. A conscientia tranquillitate: in hac etiam vita summa felicitas est conscientia quies, *Syr. 14. v. 2.* *Joh. 3. v. 21.* ut Apostolus regnum coelorum consistere judicet, in justitiâ, pace & gaudio, in spiritu sancto, *Rom. 14. v. 17.* Animabus autem beatis est conscientia tranquillitas, quippè à peccato planè justificatis, *Rom. 8. v. 7.* Atq; hæc est quies illa, cœlesti voce commendata, *Apoc. 14. v. 13.* quam utiq; gaudio & felicitate plenissimam esse oportet.

LXXXV. Accedunt his metaphoricæ locutiones passim obviæ. Nam i. in Domino morientes *sequuntur opera eorum*, *Apoc. 14. v. 13.* quomodo verò opera sequuntur illos, nisi quod fructus operum suorum comedunt, *Esa. 3. v. 10.* fructus autem bonorum operum sunt inter alios etiam gaudium & pax, *Galat. 5. ver. 22.*

LXXXVI. 2. *Iidem ab agno pascuntur & ducuntur ad fontes aquarum vitæ*, *Apocal. 7. v. 17.* Notantur aliàs hac phrasi cuncta Messia beneficia, & omnis felicitas inde ad fideles dimanans; *Psal. 23. v. 1. 2.* *Ezech. 34. v. 14. 18.* & manifestè ostenditur, sic felicem esse statum animarum beatarum, sicut est ovium à fidei pastore ad opima pascua, & viventes aquas ductarum; harum autem
status

Statu non patitur omnis sensus & affectus privationem. Ergo,
neq; talis est animarum beatarum.

LXXXVII. 3. *perveniant in paradysum*; non locum terre-
stem, quem protoplasti quondam incoluerunt, sed spirituales
& coelestem, definitum non tam loco, quam statu & fortunâ. Pa-
radysus autem vocatur hortus voluptatis, & beatitudo animabus
è corpore discedentibus parata, in quam Paulus post conver-
sionem suam raptus (an in corpore, vel extra corpus eò pervene-
rit ignarus) audivit ἀγγελα ἡμαρτα, 2. Corinth 12. v. 3. 4. & in
quam devenit anima latronis cum CHRISTO crucifixi, Luc. 23.
ver. 43.

LXXXVIII. Quid autem absurdius, quam vivere in hor-
to voluptatis sine voluptate? quid falsius, quam animæ felicitate
eam denegare, quâ Apostolus describit suavitatem sui raptus
in paradysum; & quidem illius, quem animæ ipsius extra corpus
constitutæ evenisse conijcit.

LXXXIX. *Animarum damnatarum* status ex opposito facile
intelligitur; etenim beati non sunt absque sensu gratiæ, sic da-
mnati non absq; sensu iræ DEI, quod aliqui etiam experiuntur,
animam, dum jamjam exitum è corpore meditatatur, plus angere ob
peccata admissa, quam unquam factum, dum adhuc firmiter
esset corpori copulata, & animæ beatæ sunt in manu DEI ne eas
tangat tormentum, sequitur, animas damnatas quia non sunt in
manu DEI, potius esse in manu diaboli, ubi patiantur tormenta.
Hinc Epulonis anima infernali igne afflicta perhibetur, Luc.
16. v. 24. sed de hoc alibi.

5. *Quæstio:*

XC. Nimirum negotiosas animas faciunt Pontificii, Num ani-
quando illas docent de statu hominum viventium adeò sollici-
tas, ut etiam subinde illos erudiant de rebus alterius seculi, de re-
mediis necessariis ad juvandos in purgatorio existentes &c. *ma separa-
tae viventi-
bus appare-*

XCI. Etsi autem specialis consideratio beatarum & da-
mnatarum ista debebat expedire, quia tamen hæc actio æqualiter *erudiant?*
tribuitur animabus damnatis, non minus, atq; beatis, hæc aliqua
de illa re dicenda erunt.

C 3

XCII.

XCII. Nolumus autem historias adducere, quæ cum in aliis scriptis Pontificiis, tum in historiâ, quam vocant Lombardicâ, seu legendis Sanctorum, & libro cui titulus *de proprietatibus apum*, magno numero inveniuntur de apparitionibus Spirituum sive animarum, è coelo & purgatorio, imò ex inferno redeuntium, & de fortuna sua, viventes eradientium.

XCIII. Profitentur hoc ipsimet, antiquas sive historias sive nugas monasticas approbantes: Sic enim Bellarminus libr. 2. de purgatorio cap. 8. *Quod ex purgatorio apparuerint animæ, sunt exempla apud Gregorium lib. 4. dialog cap. 40. & 55. & alios autores supra citatos. Quod deniq; ex inferno, probat multis exemplis autor librorum de proprietatibus apum, & idem apparet ex illa apparitione Doctoris Parisiensis in vita B. Brunonis, qui post triduum à morte dixit se condemnatum. Credibile est, animam illam mox à morte in infernum descendisse sed tamen apparuisse, & primo manifestasse suam accusationem: Secundo suum iudicium. Tertio suam damnationem, ut hoc modo pluribus innotesceret hoc exemplum. Greg. de Valent. To. 4. disp. 11. q. 1. p. 2. Certum est, per providentiam, & dispensationem peculiarem divinam posse ex coelo etiam, & inferno sic egredi animas ad tempus propter instructionem aliquam vel utilitatem vivorum, ut tamen non desinant esse beatæ, vel damnatæ, & c. & illic recenset quædam exempla, ac ferè eadem, quæ Bellarm. assignavit.*

XCIV. Plures autores nō adducimus: satis ex his constat, quòd animas damnatas pariter, & beatas, nec nō in purgatorio existentes egredi sentiant ex suis sedibus in informationē vivorum. Atq; hæc doctrina est fermè fundamentum Papatus, è quo purgatorium, missæ, vigiliæ, indulgentiæ, & alia complura Antichristi dogmata fuerunt enata.

XCV. Quæstio nobis verè nulla est de Dei potentia, sic n. dimitti posse animas, si Deo fuerit visum, quis dubitaret? sed de acta. Nāq; historiæ animas sic verè apparuisse narrât, omnis Papatus hoc quòdā firmiter credidit, reverâ animas ad vivos exspatiari, eosq; informare. Quò minus a. addamus calculū, obstat, quia opinio hæc est.

XCVI. 1. Prorsus incerta: Omnem probationem sumunt Pontificij ab historijs, quæ in scriptis, sive certorum, sive incertorum autorum leguntur, sed i. fides istorum nobis non sufficit, quippe bonam partem ignotorum, quantæ fuerint auctoritatis, & cujus certitudinis? Nemo hominum certò potest testari;
quod

quod sibi apparuerit Bruno, Marcellus, aut alij; quamvis enim spiritus apparentes horum nomina præ se tulerint, non tamen infallibiliter constat, quod certò hi ipsi fuerint, quorum nomina sibi sumpserant: nisi autem hoc sufficienter cognoscatur, res omnis incerta est, & sine ullo fundamento asseritur.

XCVII. 2. Periculosa. Præmonuit Christus, ultimis temporibus surrecturos esse Pseudoprophetas, & seducturos multos, *Matth. 24. v. 24.* & Apostolus Paulus attendere jubet, ne circumveniamur à Satanâ, si quidem soleat se transformare in angelum lucis, *2. Cor. 11. v. 3. 14.* cum primis circa postrema tēpora, quando Antichristus venturus erat secundū operationē Satanae, in omni virtute, & signis, & prodigijs mēdacib9, & in omni seductione iniquitatis, etc.

XCVIII. Quid ergò mirum, si sub titulo animarum Satanas iudificavit mortales, eosque perduxit ad celebrandum sacrificium Missaticum pro mortuis, ad instituendum vigiliis, & suffragia, fundandum purgatorium, commendandam aquam lustralē, & alia sexcenta ex his animarum apparitionibus enata mala: præfertim, quia idem spiritus per oracula dans responsa taliter decepit, & ad idolomaniam perduxit gentiles, quorum malo Christiani debebant didicisse mereri cautius.

XCIX. 3. Falsa, ob causas sequentes. 1. Quia animæ ob nullum verum, utilem, aut necessarium finem apparerent. Quod frustra & nullum ob finem, non audent adversarij affirmare, si a. quisquā finis est, is omninò est, quem Greg. Valenc. assignat, *instructio vivorum.* Sed hic nullum locum meretur. Aut n. animæ à Deo essent constitutæ vivorum doctores, aut non. Si hoc; deceptores sunt, non informatores. Sin illud; essent à Deo constituti Doctores fidelium, vel ordinarij, vel extraordinarij.

C. Sed neutrum verum est; quia dum ad Prophetas & Apostolos vivâ voce ac scriptis docentes passim remittimur, nulla usquā mentio fit Spirituum, sive coelestium, sive infernalium vivis apparentium: sic neq; extant exempla sanctorum, qui ab huiusmodi animabus fuerint informati, vel earum doctrinam, ut à Deo profectam, & salutarem, expectarint; summa: nullum est vestigium divinae vocationis animarum ad hoc docendi munus, neq; probatae usurpationis, unde facili consequentiâ elicitur, finem apparitionis esse nullum, ideò ipsam apparitionem esse nullam & fictitiam.

C I. 2. Quia Luc. 16. v. 27. seq. talis informatio petitur, & quidem, ut quinq; fratribus Epulonis summè necessaria, denegatur tamen, & ab animarum informatione viventes remittuntur ad audiendos Mosen & Prophetas: Latent hic quatuor argumenta denegatæ informationis per demortuos, ducta: 1. à voluntate divinâ quæ missionem Lazari, ubi etiam maxime necessarium esse videbatur, denegat, 2. ab inutili, & non necessario: habent Mosen & Prophetas, quos audiendo possunt subterfugere tormenta infernalis v. 29. dum igitur sufficiens salutis medium fuit concessum, nihil est necessarium, vel utile, mortuos mittere concionatores. 3. à comparatione doctrinæ per scripturam, & per demortuos redeuntes, v. 31. Si Mosen & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent; quæ sententia multò certiore & efficacior docendi rationem esse judicat eam, quæ fit per scripturas Propheticas, quàm per missionem animarum. 4. à correctione intentionis quam damnatus Epulo conceperat; cum enim is simpliciter peteret mitti Lazarum, qui tantùm secundum animam erat in sinu Abraham, Abraham inconueniens reputans, mitti animam, iudicat, si petito Epuli satisfaciendum esset, Lazarum è mortuis exuscitandum, ut esset præco ad inferos prope rantium fratrum Epulonis.

C II. III. Quoad Locum sive πῶς, & receptaculum, in quod animæ solutæ transeant, certum est, assignari animabus certa loca, ubi post solutionem à corpore subsistant: in quibus præcipua sunt cælum & infernus, de his generatim duo quærentur. 1. Sint ne certa quedam loca, ad quæ animæ post hominis mortem transeant, an verò locorum mentio solum statum & fortunam animarum designet? 2. Quot, & quæ sint agnoscenda animarum loca, & receptacu-

Questio 6. Ia?

Sintne certa quedam loca, ad quæ animæ post hominis mortem transeant? C III. Circa prius quæsitum præsuppositum esto, quòd de cælo, inferno, &c. loquamur pro consuetudine receptâ, tanquam de certis & fixis locis, cum in quæstione jam versetur, numne definiantur loco, an conditione & fortuna animarum?

C IV. Quòd verò rem ipsam, concedendum, sic scripturam loqui, ac si essent certa loca, intra complexum creaturarum definita,

aita,

nita, cum eadem subministrat rationes contrarium decernendi, quod negotium, quamvis proprie tractetur, quando specialis mentio fit coeli & inferni, paucis tamen hoc etiam loco tangemus.

CV. Anima beata dicuntur pervenire in sinum Abraham, *Luc. 16. v. 22.* in domum patris, *Johan. 14. v. 2.* in coelum, *Phil. 3. v. 20.* *Matth. 5. v. 12.* ubi sunt Enoch & Elias, *Gen 5. v. 24. 2. Reg. 2. v. 11.* Danae in carcerem, *1. Pet. 3. v. 19.* inferiora terrae, quod vivi descenderunt Core, Dathan, & Abiram, terram ipsos absorbente, *Num. 16. v. 31. 33.*

CVI. Quod haec sint loca *Physica*, intra creaturarum ambitum conclusa, difficile est asserere, difficilius probare; Scholasticorum enim figmenta de coelo empyreo, & inferno in terrae inferioribus contento, omni fundamento carent, & propterea, qua facilitate asseruntur, eadem negantur.

CVII. Multo tutius *coelum beatitudine, infernus tormentis* definitur, cum sine felicitate coelum non sit coelum, nec sine supplicio infernus sit infernus.

CVIII. Interim, volumus ire in medias, esse quoddam $\pi\gamma\delta$ si-ve intra, si-ve extra creaturas, in quod Deus colligat animas separatas, quod verò illud sit, & ubi quaerendum, investigare non possumus, ideò labori inani super sedemus.

CIX. Ceterum: haec non esse *loca Physica*, sed magis fortunam & statum animarum, sequentia haec argumenta suadent.
1. Angeli sunt in coelo, quamvis secundum praesentiam localem sint in terram, & parvulorum curam agant, *Matth. 18. v. 10.* vicissim diaboli ab inferno non liberantur, quamvis ratione loci praesentes sint fidelibus, & impijs in terram viventibus; quod fieri non posset, si tanta esset coeli, & inferni à superficie terrarum distantia.

CX. 2. Paulus Apostolus raptus est in tertium coelum, in Paradisum, *2. Cor. 12. v. 2. 4.* dubitat verò, an in corpore, vel extra corpus tunc fuerit; corpore verò manserat Damasci: *Act. 9. v. 9.* Ergò Damasci in corpore manens anima nihilominus in coelo esse potuit.

CXI. 3. *Caeli & terra transibunt*, ut nulla amplius illorum mentio sit futura, *Pf. 102. v. 26. 27. Heb. 1. v. 10. 11. Esa. 65. v. 17. 18. 2. Petr. 3. v. 10.* seq. coelis verò & terram intereuntibus, non superesse potest locus si-ve coelestis si-ve infernalis, nec tamen beati coelo privabuntur, neq; damnati ex inferno liberabuntur.

D

CXII.

CXII. 4. Sicut Deus in inferno praesens, Psalm. 139. v. 7. nihilominus in caelo est, Matth. 6. v. 10. ut Diabolus stans in conspectu DEI, ob hoc nihilò est beator, Job. 1. v. 6. Apoc. 12. v. 10. sed in inferno est manetq; statu infelix, non loco, sic anima etiam, ubi ubi sit, si particeps est gratiosi aspectus DEI, unà cum angelis est in caelo, si privatur gratiâ DEI, & iram illius sentit, in inferno est, quantumvis in conspectu DEI & ante CHRISTI tribunal constituta.

Questio 7.
Quot, &
qua sint animarum
loca?

CXIII. Quantum ad posterius quaesitum, quot, & quae, sint animarum loca? duo quidem in sacris literis celebrata deprehendimus, caelum & infernum, quorum prior beatas, alter damnatas animas excipiat, his autem plura addunt Pontificii, purgatorium & limbum. Gregorius de Valent. to. 4. disput. II. quaest. I. punct. I. Bellarm. lib. I. de purgat. cap. 3. seq. lib. 4. de Christ. capit. 10. limbum intelligentes duplicem, patrum & puerorum: sic enim distinguens hasce sedes Theodorus Peltanus Jesuita Augustanus lib. de purgatorio. cap. 3. pag. 197. in universum quinque animarum loca constituit, caelum, infernum, puerorum limbum, Abrahæ solum, & purgatorium.

CXIV. Quid sibi his omnibus velint, idem Peltanus pag. 200. sic explicat: Quae quinarij huius numeri ratio? Alij alias assignant, breviter sic habe. Cum anima à corpore sejungitur, aut ita affecta est, ut statim ad dexteram, vel ad sinistram abripi queat; aut vinculo, ne dexteram h. e. caelestem beatitudinem liberè statim capeat, aliquo adhuc irretita tenetur. Si nullo tenetur impedimento; aut propter merita e vestigio recipit premium, transmissa ad superos, aut propter peccata citra moram abducitur ad inferos. Ad gehennam quidem, si personalibus flagitiis obstructa heret, ad limbum verò puerorum, si sola originis labe infecta hinc excesserat. Quòd si quo impedimento tenetur, aut illud est personae, & sic transfertur ad purgatorium, ut illic purgetur; aut est communis naturae, & sic pii homines olim abducebantur ad patrum limbum. Neq; enim illi ullam aliam ob causam istuc detinebatur, vel eò quoq; amandabantur, quàm quòd premium pro totius naturae peccato per Christum nondum erat persolutum. Atq; ita patet, assignatum numerum legitimum esse.

CXV.

CXV. Summa: in *caelum* collocant animas sine peccato è corpore discedentes, in *infernum* mortalibus peccatis oneratas, & sine gratiâ excedentes, in *limbum infantum* à labe originali per remedium ordinarium non purgatas, in *sinum Abrahe*, aut *limbum patrum* animas sanctas ante CHRISTI resurrectionem à corpore solutas; in *purgatorium* animas, in gratiâ quidem sub discessum suum constitutas, non verò ab omni prorsus peccato adhuc liberatas.

CXVI. De caelo & inferno dubium est nullum, cætera tria animarum receptacula credimus esse spuria, & conficta, quorum falsitas, ut tantò rectius pateat, de singulis agemus seorsim.

CXVII. I. Limbus INFANTUM sic depingitur à Pel-
tano, pag. 214. licet illi, qui in solo originis peccato extincti sunt, ab omni
sensili poenâ immunes existant; at tamen, quòd iræ sint filii, extra Chri-
stum eiusq; gratiam, & amicitiam constituti, ad unum omnes ablegantur
ad inferos, ibi (nisi qui forsàn per miraculum à vinculo, quo obligati tenentur,
absolvantur) ut pleriq; volunt, perpetuò hæsurî, exiliq; poenam perpes-
suri Greg. Valent. loco d. Certum apud orthodoxos (Pontificios) est,
pueros decedentes in originali peccato sine baptismo, descendere item in
locum quendam infernum & subterraneum, qui nominatur limbus.

Questio 8.
An sit ali-
quis limbus
infantum?

CXVIII. Non ad stipulamur. Quia 1. hic limbus est purum putum figmentum. Dicunt, 1. Infantes sine baptismo decedentes peculiari loco contineri, qui sit tertia contignatio inferni. 2. Eisdem illic detineri, & affici solâ poenâ damni, seu privatione cœlestis beatitudinis, non autem poenâ sensus, quòd nullos cruciatus illic persentiscant. 3. Eos perpetuò illic detentum iri, ut censet Pellanus, quamvis Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus lib. 2. de Jubilæo, cap. 44 pag. 269. scribat, pleriq; existimant satis probabiliter, hunc locum non futurum perpetuum habitaculum puerorum huiusmodi, sed tantum usq; ad diem iudicii.

CXIX. Discursus sunt, nugæ sunt. Unde hæc omnia ipsis innotuere? non numerant in traditionibus non scriptis, alio qui frustra probare conaretur Valentiniæ ex scripturis. Sed nihil de hoc limbo novit univ. scriptura: nam duo solum loca po-

suit producere, Gregorius de Valent. unum ex *Johan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Alterum ex *Roman. 5. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, &c.* Quid verò illic peculiare de infantibus? quid de infantum loco? quid de singulari pœna? quid de pœnæ duratione? nihil profus: Hoc ergò solum inde concluditur, quod infert Gregorius Valent. Ergò *hi etiam pueri in inferno habent locum, idq; nemo negat; quod verò conclusioni appendicis loco annectit, quamvis distinctum ab eo infernali loco, in quo cruciantur pœnâ etiam sensus impij, ex productis testimonijs scripturæ nunquam elicietur.*

CXX. Nihil de eo pia & orthodoxa antiquitas; Concilium Florentinum quod Valentinianus allegat, pœnarum disparitatem adstruit, quam esse in inferno, certum est, ut verò ex disparitate gloriæ beatorum, *1. Cor. 15. v. 41. 42.* non probantur distincta esse beatorum receptacula in cœlo, sic neque tot mansiones habebit infernus, quot sunt damnationis gradus; foret quippe alius limbus pro servis ijs, qui nescierunt voluntatem Domini & fecerunt digna plagis; alius pro cæteris, qui voluntatem Domini sciverunt, neq; fecerunt, cum illi mitius, hi durius sint vapulaturi, *Luc. 12. v. 47. 48.*

CXXI. Augustinus verò, cujus testimonium producit, vix quicquam durius in Pontificiam opinionem dicere potuisset. Sic enim habent verba: *Nec est ulli ullus medius locus, ut possit esse cum diabolo, qui non est cum Christo.* Judicet quivis, an sic magis destruat, vel extruatur infantum limbus?

CXXII. Quod verò dogma neq; ex scripturâ, neq; Ecclesiastica traditione, nec antiquitatis testimonio innotescit, hoc purum putum figmentum jure optimo nominare, & salvâ doctrinâ Christianâ repudiare fas est, quippe per nullum veritatis documentum sufficienter cognitum.

CXXIII. 2. Pœna damni, quam in limbo sentire dicuntur infantes, neque est à Dei justitiâ, neq; à gratiâ. Non à justitiâ. Infantes n. morte præventi, & lavacro regenerationis privati, aut in eo statu versantur, qui ipsis debe-

debetur jure, aut qui eis contingit ex gratiâ. Jus expressum est, Deut. 27. v. 27. *maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit; & Rom. 5. v. 18. sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem &c.*

CXXIV. Duo scilicet exprimentur, quibusvis peccatoribus debita, maledictio & condemnatio: *maledictio* illa, quam Christus in se suscepit, factus pro nobis maledictum, Galat. 3. v. 13. & qua in æternum ignem præcipitabuntur reprobi, Matth. 25. v. 41. 46. *condemnatio* est infernalibus cruciatibus æterna adjudicatio, Rom. 8. v. 1, 2. Cor. 11. v. 32. Hæc autem utraq; non infert solam pœnam damni, quam vocant, sed etiam sensus, quæ infantibus, quippe legis divinæ transgressoribus de jure debebatur.

CXXV. Non à gratia; quia exclusio à regno cœlorum, & condemnatio, non sunt opera gratiæ, sed iræ; & de his parvulorum animabus pronunciat Gregorius Valent. quòd sint Deo exosi, & Dei inimici.

CXXVI. Hinc argumentum: status & fortuna quarumvis animarum post mortem aut est à Dei justitiâ, aut ab illius gratiâ: pœna damni, (& non sensus) quam infantum non regentorum animæ perhibentur sentire in limbo suo, neq; est à Dei justitiâ, neq; à gratia, Ergò talis pœna non est fortuna seu status animarum post mortem, & consequenter non est talis limbus, qualem Pontificij confinxerunt.

CXXVII. 3. Causa non potest reddi, cur hac pœnâ, & non pœnâ sensus afficiantur animæ infantum. Non est causa peccati originalis vilitas aut exilitas: operatur enim mortem, & condemnationem, & maledictionem, ut modò vidimus; cumq; alia peculiaris sententia in eas non feratur, sed tantum omnibus non salvatis communis, sic etiam de illis statuendum est, quòd eandem pœnam cum cæteris non salvatis subeant.

CXXVIII. Accedit, quòd legis transgressio habitualis multò est gravior actuali, prout omnis vitiosus habitus longè deterior est vitioso actu; ideò dum actualia peccata merentur dam-

nationem sensus, utique illam merebitur peccatum habituale, quale est originale. Quid? Quod in uno peccans omnium sit reus, *Jacob. 2. v. 10.* proinde originaliter delinquens non minus sit reus violatae legis ac si actualiter omnia Decalogi praecepta fuisset transgressus.

CXXIX. *Non misericordia DEI*: nam si eos ex odio & ira huic poenae destinat, misericordiae nullus potest esse locus: Neq; *mixtura misericordiae & justitiae*, quae in operae redemptionis est conspicua. Si enim hoc, foret etiam id temperamentum extra redemptionis opus, quod nunquam probabitur; Et quemadmodum *DEUS* in ira sua nostri misertus, de poena tamen nihil remisit extra filij meritum, sic infantibus illis non magis actu remisisset quicquam, non interveniente quodam merito, & expiatione originalis peccati, quae tamen per Pontificiam hypothesein in infantibus istis nullum locum habet. Concluditur, quia hujus peculiaris poenae nulla datur causa, eam quoq; agnosci nec debere nec posse.

CXXX. Praescribitur divino judicio, simul & misericordiae. Si *DEUS* judicium suum nusquam ita determinavit, ut alios puniret damno seu privatione beatitudinis, alios poenam sensus, sive cruciatus, impie sic determinant homines, quibus nihil de eo est cognitum, nisi quod divinitus est revelatum. Neq; nos assequimur abyssum divinae bonitatis, scientiae, & sapientiae; *Rom. 11. v. 33.* propterea nemo absolute potest discernere, an *DEUS*, qui parvulos amat, eorum, si non omnes, aliquos tamen, & imprimis fidelium liberos, morte repentinam ab usu baptismatis exclusos, extraordinario modo fide donet, ac Spiritu sancto repleat, quod Johanni Baptistae contigit, *Luc. 1. v. 15. 44.*

CXXXI. Quare aut de his infantibus ex ordinario *DEI* judicio statuendum, & sic omnes damnationi erunt obnoxii, aut de extraordinaria *DEI* gratia bene sperandum, & neq; in infernum omnes detrudi possunt, neq; peculiaris locus aut limbus constitui, sed non paucos caelesti gaudio frui censendum erit.

Questio 9.
An sit aliquis limbus Patrum?

CXXXII. II. LIMBUS PATRUM. De hoc sentiunt Pontificij, animas sanctorum, qui ante *CHRISTI* adventum & resur-

resurrectionem vitâ fuerant functi, non protinus in DEI conspectum fuisse admissas, sed usq; ad tempus resurrectionis Dominicæ delituisse in obscuro quodam, ac tenebricoso antro, quod constituerit quartam, & supremam contignationem inferni, ubi expectandum fuerit *λύτρον* CHRISTI, quo in cruce persoluto, hic carcer apertus, vincti emissi, & in DEI conspectum, ad plenam perfruitionem æterni gaudii producti fuerint, atq; hunc proprium finem esse putant descensus CHRISTI ad inferos, quo peracto, jam putatur locus aut amplius non esse, aut mansisse vacuus.

CXXXIII. *Gregorius de Valentia*, tom. 4. disp. 11. punct. 1. §. 3. *Certum est, olim ante Christi adventum fuisse quoq; in inferioribus terræ partibus locum quendam subterraneum, ad quem, tanquam in requiem, & in sinum Abrahæ descendebant eæ iustorum animæ, in quibus nulla supererat expurganda labes peccatorum.* Idem disp. 2. quaest. 4. punct. 3. *Certum est, Christum (ad inferos descendentem) indidisse lumen gloriæ animabus illis sanctorum, qui erant in limbo, atq; adeò reddidisse beatas.* Item. *Certum est, Christum eduxisse secum illas animas sanctas ex illo loco, quamvis non nisi tertio die, cum illuc usq; ibi manserit.*

CXXXIV. Sed neq; hunc, ut credamus, adduci possumus; siquidem 1. Limbus ille patrum per nullum documentum fide dignum innotescit. Non ex traditionibus, non ex scripturâ, non ex piâ & orthodoxâ antiquitate, non ex ullo alio certo ac fide digno testimonio; eâdem igitur facilitate, & eodem jure negatur, quo fuit assertus.

CXXXV. Nullius enim ponderis sunt, quæ huc adducuntur, 1. De inferno, ad quem Patres se in morte descensuros affirmarunt. Nam intellexerunt aut inferum animarum receptaculum, & sic forent damnati, siquidem scriptura plures inferos ignorat, aut sepulchrum, quod nomine *ΛΙΜΒΟ* non rarò notatur, nec quicquam pro Pontificio Limbo concluditur: & optimè congruit textibus illis hæc posterior significatio; econtrâ, nemo divinando etiam, assequetur, ejusmodi Limbum beatorum, quem Papatus construxit, illic intelligi; desideratur proinde consequentiæ nervus,

CXXXVI

CXXXVI. 2. De *Samuele* per incantationem Pythonissæ apparente Sauli, 1. *Sam.* 28. v. 14. Id quod incantationis & operis Diabolici fuit, magis ergò spectrum, quàm *Samuelem* ipsum fuisse credendum est. Ratio assertionis hæc est, si verus *Samuel* apparuit, is aut totus *Samuel* fuit, aut ejus anima, aut corpus.

CXXXVII. Non totus *Samuel*, aliàs è mortuis surrexisset, quod non audent affirmare Adversarij; & *Diabolus* edidisset verè divina miracula, quod Christiani minimè admittunt, *Job.* 3. v. 1. Non solum corpus, quod dicendum foret, à *Satanâ* fuisse agitatam, qualiter non confirmaretur patrum limbus, è quo animam *Samuelis* evocârit incantatrix.

CXXXVIII. Non sola anima: aut enim virtute Dei prodijisset, aut virtute Diaboli. Non DEI, 1. Qui volebat Sauli respondere per Prophetas (in his autem & *Samuel* erat,) v. 6. 2. Imò, qui veritatem à mortuis sciscitari severè prohibuerat, *Deut.* 18. v. 10. 11. *Esaie* 8. v. 19. 3. Qui etiam ad nutum organorum *Satanæ*, & maleficarum, atq; in confirmationem artium diabolicarum non edit miracula.

CXXXIX. Non virtute *Satanæ*, qui nihil potestatis aut juris habet in animas beatas, postquam in manu Dei quiescunt, *Sap.* 3. v. 1. Et sanè sic excitata *Samuelis* anima, nec voluntariè prodijisset, artes diabolicas tanto operè detestans, nec invitè, subiecta quippe fuisset ductui diabolico.

CXL. Ut nunc non urgeamus externam senilem formam, & amictum, quo utroq; anima destituitur; ut & verba personati *Samuelis*, dicentes: *cras tu, & filij tui mecum eritis*, quæ à vero aberrarunt, si limbus non nisi eos continet, quibus certa spes vitæ æternæ facta fuerat.

CXLI. 3. De liberatione ex inferno & hanc in seculo triumpho, *Mich.* 2. v. 13. *Ose.* 13. v. 14. *Zach.* 9. v. 11. *Johan.* 14. v. 2. *Ephes.* 4. v. 9. *Coloss.* 2. v. 15. Nam 1. Limbus non est infernus; dum igitur animæ ex inferno dicuntur liberatæ, minimè dicuntur redemptæ ex limbo. E. Liberatio ex inferno per Christum præstita non solum è fictitio illo limbo, sed ipso igne æterno, diabolo & angelis ejus parato, animas eduxit; quòd enim patres in-
damna-

damnationem æternam non sunt præcipitati, habent à Redem-
tore Christo: nihil ergo hic de Limbo. 3. Non solos patres an-
te passionem Domini defunctos ex inferno eduxit, sed etiam
postea in ipsum credentes; hos autem, non ut ad Limbum dedu-
ctos inde reduceret, sed quòd ab ipsis reatum peccati & debitum
damnationis abstulit, Gal. 3. v. 13. Ergò eodem modo liberavit
antiquos patres.

CXLII. II. Officium Christi æqualiter se habet
ad eos, qui ante actum passionis, & post eundem fue-
runt defuncti. Quicunque olim sunt mortui, & moriuntur
hodiè, aut in Christum crediderunt, aut non crediderunt: qui
crediderunt, aut fructi sunt beneficio Christi, liberationis à ma-
ledictione legali, & subsequente damnatione, & participationis
æternæ felicitatis; aut non sunt fructi: si prius, quomodo sic
fuissemus divisa Christi beneficia, ut animæ patrum eorum aliqua
ante solutionem actu præstitam actu tamen perciperent, cætera
non perciperent prius, quàm satisfactio actu à Christo præstita
fuisset?

CXLIII. Sumimus nos tanquam certissimum. 1. *Gratiam
per Christum factam* (Joan. 1. v. 17.) *æqualiter spectasse ad patres Vete-
ris, & Christianos Novi Testamenti*, Esaiæ 53. v. 4. seq. Verè languo-
res nostros ipse tulit, &c. Apoc. 13. v. 9. agnus occisus est ab ori-
gine mundi. 2. *Gratiam Christi non minus actu operari in creden-
tes ante passionem, ac post eam*, Actor. 15. v. 11. Per gratiam Domini no-
stri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi (Patres.)

CXLIV. Et hinc argumentamur: Ad quem spectat gratia
Dei per Christum facta, is particeps sit gratiæ Christi, abstrahen-
do, ane Christus jam actu fuerit passus, vel non passus. Ad o-
mnes credentes, & piè ex hoc seculo decedentes spectavit gratia
Dei per Christum facta, Ergò omnes credentes, & piè decedentes
participes fiunt gratiæ Christi, abstrahendo, ane Christus jam
actu fuerit passus, vel non passus.

CXLIV. III. Exempla dantur eorum qui ante
Passionem & Resurrectionem Christi fuerunt in gau-
dio cœlesti, non autem in tristi Papistarum Limbo,

E

Enochum

Enochum dicimus, & *Eliam*, utrumq; virum in cœleste gaudium translatum, *Gen. 5. v. 24. 2. Reg. 2. v. 17.* His adde *Mosen*, qui Christo in gloriâ apparenti adstitit, *Matth. 17. v. 3.* ad indicandum, se in Limbum aliquem minimè detrusum, sed à morte in vitam, transiisse. Imò huc referamus & *Latronem* cum Christo crucifixum, cui pollicetur Salvator, ipsum in Paradiso secum futurum die mortis suæ, *Luc. 23. v. 43.* quamvis Christus juxta Pontificiam opinionem, eum non nisi tertio die à morte sua esset è Limbo ducturus, & in suo demum in cœlos ascensu assumpturus (ut sentit *Gregor. de Valent. disput. 2. quæst. 4. punct. 3.*)

CXLV. Si autem propter *λύτρωσιν* à Christo nondum solutum non potuerunt patres in conspectum Dei prodire, quomodo Elias, Enoch, Moses, ante *λύτρωσιν* solutum in conspectum Dei potuerunt admitti, & cœlesti gaudio frui? Certè nulla prærogativa hic est Eliæ, aut Enocho, præ Simeone, Hannâ, pastoribus Bethlehemiticis, aut quibusvis simplicibus hominibus verâ tamen fide in Messiam sperantibus. Quod si ergò unus potuit salvâ Dei justitiâ, Christo nondum passo, felicitatis cœlestis particeps evadere, quidni de reliquis idem esset judicium?

Questio 10.
An sit purgatorium?

CXLVI. IV. PURGATORIUM. Vocatur *Purgatorium* locus quidam, in quo, tanquam in carcere, post hanc vitam purgantur anime, quæ in hac non plenè purgatae fuerunt, ut nimirum sic purgatae, in cœlum ingredi valeant, quò nihil intrabit coinquinatum, *Bellarmin. lib. 1. de purgat. cap. 1.* Purgatorij nomine *Ecclesia Catholica* locum aliquem imprimis intelligit, quo post mortem eorum fidelium anime, quæ vel obstrictæ reatu alicujus temporalis pœnæ, vel etiam aliquibus peccatis venialibus ex corpore migraverunt, secundum divinæ justitiæ rationem, cruciantur, quoad penitus ab ejusmodi peccatis expiatae, beatitudinem cœlestem consequi valeant. *Gregor. Valent. tom. 4. disput. 11. quæst. 1. punct. 1. §. 4.*

CXLVII. Si cæteri Limbi quicquam impietatis habent, purgatorium habet certè longè maximum, quod hac demonstratione probatum redditur: Quæcunq; doctrina, 1. Per nullum idoneum probationis medium innotescit. 2. Adveriatur sacerdotali officio Christi. 3. Applicationi meriti Christi. 4. Veræ peccatorum expiationi.

5. Ec-

5. Ecclesiastico cultui, & pietati renatorum. 6. Statui hominum viventium. 7. Statui hominum mortuorum. 8. Et exemplis manifestis evertitur, illa non est necessarium Christianæ fidei dogma, sed impium, vereq; Antichristianum figmentum.

CXLVIII. I. Purgatorium per nullum idoneum probationis medium innotescit. Sex media adducuntur. 1. *Scriptura.* 2. *Concilia.* 3. *Patrum scripta.* 4. *Ecclesiæ definitiones.* 5. *Animarum apparitiones.* 6. *Aliæ rationes.* Vid. Bellarm. libr. 1. de purgator. cap. 3. seq. Gregor. de Valent. tom. 4. disput. 11. punct. 1. §. 6. seq. Theod. Peltanus lib. de purgat. c. 7. seq.

CXLIX. Fundamenta hæc maximam partem insufficientia, minusq; idonea credimus, quæ fidei dogma, stabiliant, aut fundare queant nempe 1. *Concilia.* 2. *Patrum scripta.* 3. *Ecclesiæ definitionem.* 4. *Animarum apparitionem.* Primum & secundum, quia infallibilitas conciliorum & patrum nondum est ostensa, contra potius probè notum, quot modis concilia, quot patrum scripta, errarint, ut alibi pluribus demonstratur.

CL. Tertium, quia hoc ipsum in quæstione nunc versatur, an Ecclesia (Pontificia nempe) rectè definiat, esse purgatorium? nimirum sic principium petitur. Quartum, quia ex nullo certo documento potest innotescere, quòd apparuerint animæ, & non diabolica spectra se animas defunctorum fuerint mentita, ut sub prætextu illo specioso, miseros mortales deciperent.

CLI. Credibile autem hoc est, cum ex prohibitione divina, nec vivi à mortuis veritatem sciscitarentur, Deut. 18. v. 10. 11. unde promptâ consequentiâ infertur, noluisse Deum per apparentes defunctorum animas, viventes informare; e contra, cum præmoniti simus, ne ultimis temporibus credamus signis & prodigijs mendacibus, quibus Antichristus sedem suam erat confirmaturus, 2. Thessal. 2. v. 9. nil quicquam dubitamus, omnes illas animarum apparitiones fuisse lusus ac deceptiones Satanicas; nec possunt adversarij contrarium docere.

CLII. Non igitur quicquam curamus roachos Valentiani scribentis; que omnia putare fabulosa esse, hominum est protervorum, & animalium, qui sint spiritu ad similes res intelligendas destituti, quales merito censeri debent sectarij, dum hac in universum irrident: Sic enim non satisficit conscientia, neque probatur, veras mortuorum animas apparuisse.

CLIII. Estq; frivola Bellarminiana probatio; nec est credibile, tam sanctos viros decipere voluisse, neq; etiam ipsos deceptos fuisse, cum haberent spiritum discretionis, & essent amici Dei. Sit sane non credibile; quis autem rem certam esse probabit? praesertim quia seductionis speciem, & efficaciam vix sufficienter scriptura exaggerare potest, Matth. 24. v. 24. 2. Thess. 2. v. 9. 10.

CLIV. Restant igitur duo. 1. Scriptura. 2. Ratio. Sive discussus ab analogia fidei petitus, e quibus, quid eliciant, videntur.

CLV. Scripturae testimonia vel ex veteri, vel novo Testamento petuntur, quae omnia sigillatim, & prolixius persequi nostri instituti ratio non patitur; paucis summos responsionum apices tangemus.

CLVI. Ex veteri Testamento haec loca petuntur, 1. Samuel. 31. ver. 13. Mortuo Saule, habitatores Jabes in Gilead jejunaverunt septem diebus, 2. Samuel. 1. ver. 12. jejunaverunt David, & viri ejus super Saul & Jonathan, Psalm. 37. (aut 38.) ver. 1. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Psalm. 65. ver. 11. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Esa. 4. ver. 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu Judicij & combustionis, cap. 9. v. 18. Succensa est quasi ignis impietas, & spinas devorabit. Mich. 7. ver. 8. Ne lateris inimica mea; nam si cecidi, resurgam, cum sedero in tenebris, iram Dei portabo, donec causam meam judicet; Adducet me in lucem, videbo justitiam ejus. Zach. 9. ver. 11. Tu in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Malach. 3. ver. 3. Ipse sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, Tob. 4. ver. 14. Panem
tuum

tuum & vinum tuum super sepulturam justi confizue, & no-
li ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. 2. Macc. 12.
ver. 43. Judas Maecabæus misit Hierosolymam 12000.
drachmas argenti offerri pro peccatis mortuorum sacrificium,
benè & religiosè de resurrectione cogitans, ver. 46. Sancta er-
gò & salutatis est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis
absolvantur.

CLVII. In his omnibus generatim desideratur vis conse-
quentiæ; omnibus enim his pronuntiatis positis, nondum in-
fertur. Ergò est aliquis ignis, in quo, tanquam in carcere post hanc vè-
tam purgantur animæ, quæ in hac non planè purgata fuerunt, &c.

CLVIII. Specialiter verò, quedam loca è scriptis apocry-
phis petuntur, quorum autoritas adversus scripturam canoni-
cam nobis planè nulla est: quedam non de mortuis loquun-
tur, sed de vivis, & pœnis non spiritualibus, aut peccatorum
expiatorijs, sed corporalibus, interdum etiam politicis. Psalm.
65. ver. 11. quedam de toto humano genere, non aliquibus ex eo,
Zach. 9. ver. 11. quedam de solo Israël, ejusque post Babylo-
nicam transmigrationem restitutione, Esa. 4. ver. 4. cap. 9. ver. 19.
Mich. 7. v. 8. quedam de judaico cultu, ejusque per Christum
reformatione, Malach. 3. v. 3. quedam de hominibus justis, quos
ad purgatorium ne quidem Pontificij ablegant Tob. 4. ver. 17.
quedam de jejunio, & lactu super mortuis, sive salvatis sive
damnatis, 1. Samuel. 31. v. 13. 2. Samuel. 1. ver. 12. ut etiam alibi
hæc jejunia citra suspensionem purgatorij leguntur celebrata,
2. Samuel. 3. ver. 35. cap. 12. ver. 16.

CLIX. Ex Novo Testamento Matth. 5. ver. 25. 26. Esto
consentiens &c. ne judex te tradat tortori, & mittaris in
carcerem: Amen dico tibi non exhibis, donec reddas no-
vissimum quadrantem. ver. 22. qui irascitur fratri suo, reus erit
judicio; qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio; qui dixerit
fatue, reus erit gehennæ ignis, Matth. 12. ver. 32. Qui dixerit contra
Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc seculo,

neque in futuro, 1. Corinth. 3. v. 15. Ipse salvus erit, sic tamen,
quasi per ignem. 1. Corinth. 15. v. 29. Quid faciunt, qui baptizan-
tur pro mortuis, si mortui non resurgunt? ut, quid baptizantur
pro illis, 1. Johan. 5. v. 16. Qui scit, fratrem suum peccare pecca-
tum non ad mortem, petat & dabitur ei vita. Est peccatum
ad mortem, non pro illo dico ut oret quis.

CLX. Et hic desideratur nervus, omnibus enim his pro-
nunciatis stantibus, nondum inferitur. Ergo est ignis, in quo, tan-
quam in carcere post hanc vitam purgantur anime, que in hac non plane
purgata fuerunt.

CLXI. In specie, quedam allegatorum locorum agunt de in-
ferno, Matth. 5. v. 25. 26. nam irreconciliabiles Ethnicis similes,
Matth. 18. v. 17. non ad purgatorium, sed infernum ablegantur.,
Apocal. 21. ver. 8. quedam de poenis Politicis, quamvis ad gradus
poenarum in altera vita subeundarum accommodatis, Matth. 5.
v. 22. quedam de peccato irremissibili, quod non remittitur in æ-
ternum, Marc. 3. v. 28, 29. Luc. 12. v. 10. quedam de tribulationi-
bus & tentationibus, non animabus igne purgandis proprijs,
sed communibus quibusvis Christianis, 1. Corinth. 3. v. 15. qua-
dam de ritu baptismi supra sepulchra Christianorum administra-
ti, 1. Corinth. 15. v. 29. quo viventes testarentur spem suam de
certo futura mortuorum Resurrectione: quedam de discrimine
peccati ad mortem & non ad mortem, ad purgatorium nil quic-
quam pertinente. Sed de singulis rationem plenioram redde-
mus in ipsa συζήτησι.

CLXII. Rationes sive argumentationes pro extruendo
purgatorio, hæc proferuntur. 1. Sunt quedam peccata venialia,
solâ temporali poenâ digna; at cum his quidam discedunt, antequam poenas
illas sustinuerint, & peccatum expiarint, E. Post hanc vitam id fieri ne-
cesse est, Bellarm. lib. 1. de purgat. cap. II. Gregor. de Valent. tom.
4. disput. II. punct. 1. §. 7.

CLXIII. Respond. Discrimen peccati venialis & morta-
lis admittimus in sano sensu, alibi explicato; Nullum v. pecca-
tum scimus, quod solum temporalem poenam mereatur, cum
id nusquam in scripturâ legatur. 2. Si maximè sint talia pec-
cata,

causa,

cata, num proinde purgatorium erit? Sic enim omnes purgabantur, quia nemo adeo sanctus, qui non tali peccato leviusculo, & ex infirmitate commisso sit oneratus, quod si non tollitur fide, sed poenâ propriâ; omnes sancti mittentur in purgatorium. 3. Si verò Pontificij animas sanctorum sine sensu ejusmodi poenæ vitam æternam ingredi sentiunt, ut peccata quæ dicunt venialia sine purgatione ignis remittantur, quidni dicerent idem de peccatis venialibus aliorum tantâ sanctitate non exornatorum?

CLXIV. II. *Cum reconciliantur Deo peccatores, non dimittitur semper cum peccato poena temporalis, ac potest fieri, & sapè fit, ut in tota vitâ aliquis non satisfecerit plenè pro temporali illâ poenâ. Ergò necessario statui debet purgatorium, Bellarm. ibid.*

CLXV. Respon. 1. Negatur, peccatum remitti sine remissione poenæ; 2. Si in hac vitâ infligitur interdum poena, Ergone semper infligetur post discessum animæ? quid si in eo statu nunquam puniretur anima poenâ temporali? 3. Negatur necessitas propriæ satisfactionis, cum satisfactio Christi sit sufficientissima, cujus applicatio per fidem cum peccato tollit omnem poenam, *Esaiæ 53. v. 4. & seq.* Fundamentum igitur hujus argumentationis est planè nullum. 4. Ex ijs, quæ aliquando contingunt, & in alterâ vitâ evenire, probabiliter putantur, infert Bellarminus necessitatem purgatorij: *ἀλόγως καὶ ἀσυνλογίως.*

CLXVI. III. *Tertiaratio sumitur à communi opinione omnium gentium & id enim consistunt Hebræi, Mahometani, gentiles, ijq; tam Philosophi, quàm Poëtæ, Bellarm. ibid.*

CLXVII. Resp. Gratulentur sibi ergò Pontificij de tam lepido consensu: nos neq; fidei dogmata è Judæorum, Turcarum, aut Ethnicorum consensu haurimus, neq; conscientia nostræ hac autoritate satisfacere possumus, ideò argumentum Ethnico, quàm Christiano dignius censeamus.

CLXVIII. IV. *Ista opinio, quæ tollit purgatorium, non solùm est falsa, sed etiam perniciosa, siquidem homines socordes facit in peccatis cavendis, & bonis operibus faciendis, Bellarm. ibid.*

CLXIX.

CLXIX. Respon. Quòd sententia purgatorium negans multò sit rigidior in impios, quàm ea, quæ purgatorium admittit, videre licet ex ijs, quæ Bellarm. circa primam rationem disputavit, & certè, qui infernalem pœnam debet metuere, doctrinâ istâ fortiùs abstrahitur à peccatis & ad pœnitentiam ac bona òpera vocatur, quàm, qui solum purgatorium timet: proinde frivola est ratio, impugnans magis, quàm propugnans purgatorium.

CLXX. II. Adversatur sacerdotali officio Christi. Christus redemptionis pretium solvens. 1. Est solus salvator; Act. 4. ver. 12. non est in alio salus, &c. 1. Tim. 2. v. 5. Unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus. 2. Est omnium hominum salvator, pro omnibus mortuus est, 2. Corinth. 5. ver. 15. Propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Johan. 2. ver. 2. 3. qui Salvavit ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 7. Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato. 4. Salvavit à culpâ simul & pœna, Esa. 54. ver. 5. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, &c. 5. Ab omni pœnâ, Rom. 8. ver. 7. Nihil nunc est damnationis his, qui sunt in Christo Jesu, In Christo autem sunt quicumque fideles, Ephes. 3. v. 17. Christus per fidem habitat in cordibus nostris.

CLXXI. Ergò 1. Per Christum omnes in eum credentes ab omni pœnâ absolvuntur. Ergò nihil in eis est damnationis, nihil culpæ, nihil pœnæ, nihil quod eos in Dei iudicio possit accusare; ergò nihil per infernalis ignis tormenta expurgabile. 2. Quicumq; à peccatis sive quoad pœnam, sive culpam liberantur, non suâ passione aut merito liberantur, sed unico Christi sanguine; Ergò non purgatorio, cujus passiones creduntur in Papatu expiatoriæ, & meritoræ.

CLXXII. III. Applicationi meriti Christi. Ex igne purgatorij & peccatorum reliquijs liberantur animæ vel per Christum, vel sine Christo. Quòd sine Christo, profiteri non audent adversarij: Si per Christum, quæritur de medio applicationis, per quod Christi beneficia transferuntur ad animas laborantes, sit ne illud fides, aut propria passio?

CLXXIII. Si fides, porrò quæritur, cur ea non potuit eodem effectu animas beare in hoc tempore adhuc existentes, cum possit

possit

possit purgatorio afflictus? si propria passio, duo falsa sequentur
Primum, quod fides non sit verum atque unicum applicationis me-
dium, præter quod tamen scriptura nullum aliud novit, & Chri-
stus fidei tribuit effectum vitæ æternæ, *Johan. 3. ver. 16. Ut omnis qui*
CREDIT in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: Alterum,
quod passio propria transferat effectum mortis Christi ad homi-
nem patientem, quod nusquam docetur in sacris literis, nec ju-
stificationis operi ulla ratione congruit, nec qualiter congruat,
exponi potest.

CLXXIV. IV. Veræ peccatorum expiationi.
Expianantur peccata, quando divinæ justitiæ peccata punituræ pro
illis satisfit, ut nulla accusatio, nullusque reatus maneat pecca-
torem: hoc debet fieri vel per poenarum peccato designatarum
perpeffionem, vel per λύτῃν interveniens. Peccata purgato-
rio delenda non tolluntur per interveniens λύτῃν, aliàs nil o-
pus esset meritorijs passionibus peccatoris; non per poenarum
peccato meritaram perpeffionem; nusquam enim cuiquam pec-
cato designata est poena temporalis, sed omnibus æqualiter æ-
terna, cum maledictio dictata non observantibus omnia quæ in
lege scripta sunt, *Deut. 27. ver. 27. sit maledictio infernalis, idem*
æterna, interprete Apostolo. Galat. 3. ver. 13. & qui impingit in
uno, sit reus omnium Jac. 2. ver. 10.

CLXXV. Quod autem poena æterna commutetur in tem-
poralem, hoc 1. Christo peculiare est, qui, persona infinita, po-
tuit justitiæ divinæ citra aliquam ejus diminutionem satisfacere
ferendo poenas infinitas tempore finito. 2. De tali poenarum
permutatione nihil usquam legitur, Ergò frustra creditur.
Nequè evincunt tale quid exempla sanctorum, qui aliquando
temporalibus poenis leguntur affecti, cum æternas essent prome-
riti, uti David adulter & homicida, *2. Samuel. 12. ver. 10. seq. fal-*
sum enim est, has extitisse poenas verè, propriequè dictas, cum
post peccatum remissum tanquam paternæ castigationes fuerint
inflictæ, minimè verò, ut sic satisfacerent peccatores pro delictis
 suis, quæ per Christum sunt expiata, & ex gratiâ remissa.

CLXXVI. V. Ecclesiastico cultui & pietati renatorum. Cultus Ecclesiasticus, & quorumvis renatorum pietas, proximum juvare debet, quoquo modo potest; potest autem per duos præcipuos, preces & sacrificia; quibus omni tempore soliti sunt Sancti laborantibus subvenire, *Gen. 8. v. 20, 21. Exod. 32. v. 31, 32. Num. 11. v. 2. cap. 12. v. 13. cap. 16. v. 46, 47.* At; quòd preces aut sacrificia pro animabus purgatorio afflictis facta fuerint, in totâ historiâ Veteris & Novi Testamenti non legitur; (quod enim Apocryphum scriptum *2. Macc. 12.* habet, ab universa scripturâ dissonat) causa hujus rei aut est neglectus mortuorum, qui non potest sanctis hominibus tribui, & si tribueretur maximè, non tamen salvâ pietate dici poterit, Deum qui mutuas preces, & auxilia toties commendavit, hunc sui cultum, & in defunctos pietatem ita neglecturum fuisse, ut nullam ederet mandatum, nullam exhortationem, neq; sacrificium pro ijs faciendum institueret: aut purgatorij nullitas, tertium facile non dabitur.

CLXXVII. VI. Statui hominum viventium. Quicunq; viventes aut sunt increduli, aut credentes; inter quæ duo genera tertium nullum extat. *Increduli* jam judicati sunt, hoc est, ad infernum condemnati. *Joh. 3. v. 18.* quare hi in purgatorium non mittuntur: *Credentes* verò, 1. Jam sunt justificati, Ergò justî, ergò ab omni peccato mundi. *Eph. 5. v. 26.* nihil ergò in ipsis expurgandum superest: 2. Sunt sine accusatione & damnatione *Rom. 8. v. 1.* Nihil nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu. *v. 33, 34.* quis accusabit electos Dei? Deus est, qui justificat, quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 3. Habent pacem cum Deo. *Rom. 5. v. 1.* Justificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. 4. Fruuntur ipso regno cœlorum *Rom. 14. v. 17.* Non est regnum Dei esca aut potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.

CLXXVIII. Quicunq; verò est justificatus, hoc est, ab omni peccato mundus, ideò habet pacem cum Deo, fruitur regno cœlorum, hoc est gaudio & pace in Spiritu S. & neq; est accusationi, neq; ulli condemnationi obnoxius, is nullo jure ad purgatorium mitti potest. Hinc argumentum. Ad purgatorium mittuntur aut
credentes

credentes, aut increduli, aut tertius quidam hominum ordo; Sed neq; credentes, neq; increduli, ut probatum; neq; tertius hominum ordo, quem dari, impossibile est, si quidem credens, & non credens, contradictorie opponuntur, ideo non possunt medium admittere.

CLXXIX. VII. Statui hominum mortuorum. Duo sunt termini, ad quos ultimo deveniunt omnes animæ à corporibus discedentes; *cælum & infernus*; nec dissentiunt Pontificij: Quæ ad infernũ spectant, non feruntur ad purgatorium: Quæ ad cælum, sunt 1. Justificati. *Rom. 6. v. 7. qui mortuus est, justificatus est à peccato.* 2. Beati. *Apoc. 14. v. 13. beati mortui qui in Domino moriuntur, & modo à patribus.* 3. Quieti *Apoc. 14. v. 13. qui in Domino moriuntur, quiescunt à laboribus suis.* 4. Sine tormento felices. *Sap. 3. v. 1. Animæ justorum sunt in manu Dei, & non tanget eas tormentum.* 5. Ut animo quieto & tranquillo debeant esse in Christo defunctorũ amici. *1. Th. 4. v. 13.*

CLXXX. Hinc argumentum: Ad purgatorium mittuntur mortui, qui aut inferno sunt adjudicati, aut cœlesti gaudio destinati. Non illi, ut est in confesso: Non hi, nam à peccato justificati, injustissime torquentur propter peccatum, & quidem hoc sine, ut à peccato plenè liberentur, qui verò jam jam sunt beati, quieti, sine tormento felices, ut amici eorum animo tranquillo esse possint, ac debeant, quomodo hi absq; manifestâ contradictione statuentur affligi igne & tormento infernalibus cruciatibus æquali?

CLXXXI. VIII. Et Exemplis manifestis evertitur. Necessarium esse purgatorium, censent adversarij, & quidem ideo, ut pœnam ex peccatis venialibus residuam luant defunctorum animæ. Si necessitas subest, sequitur omnem sic discedentem, ut pro quovis peccato veniali non satisfecerit, ad purgatorium ignem prius mitti, quàm in gratiosum Dei conspectum admittatur. Hoc autem falsitatis convincit geminum exemplum, utrumquè illustre: *Unum*, Latronis cum CHRISTO crucifixi, quem gravissimis sceleribus pollutum, ideo venialibus, quæ dicunt, oneratum nemo negabit; Hic ergò, si quisquam alius, post mortem purgandus erat, cum pro ijs, cum viveret, ne quaquam satisfecerit. Etenim, supplicium, quod susti-

nebat, in divino iudicio nihil expiare poterat (expiasset enim pari poenâ alter etiam latro sua delicta.) cum esset poena saltem politica, sed nequè illa pro quovis peccato in civili foro satisfactoria, sed tantùm pro exercitiis atrocinijs. Nihilominus hic latro & nequam pessimus ipso die passionis Dominicæ in Paradisum admittitur, juxta promissum Christi, *Luc. 23. ver. 43. Amen dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiso*; cum prius in purgatorium non fuisset detrusus.

CLXXXII. *Alterum Exemplum præbent ij, quos dies novissimus vivos apprehendet. 1. Thess. 4. ver. 15. 17. Item, qui exiguo tempore ante Christi adventum eò devenissent, ut tantillo temporis spatio non potuerint à suis peccatis perpurgari. Quia enim Christus prædixit, ultimis temporibus charitatem, & fidem, raras virtutes futuras, Matth. 24. ver. 12. Luc. 18. v. 3. nemini dubium fieri potest, paucos illos bonos & credentes, quos Dominus ad iudicium veniens deprehendet vivos, non fore ab omni omnino peccato, etiam quod in purgatorio expiandum creditur, puros, ideò (ex Pontificia hypothese) purgandos.*

CLXXXIII. Si autem purgatorium, ingruente novissimo die, cessabit, quomodo credentes illi à residuo sui peccati liberabuntur? privilegio certè nullo præ cæteris piè defunctis gaudent, cum nullum impetrarint vel ex *divinâ misericordiâ*, cui locum plenariè dari negant adversarij, nisi prius à peccatis fuerit homo plenè purgatus: vel ex *Christi morte*, cur enim & illa, mundo adhuc durante, non æquè esset efficax? cum ad omnes æqualis effectus sese extendat; vel *propriâ sanctitate*, quàm præ alijs non habebunt.

CLXXXIV. Hinc argumentum tale. Si necessarium est, igne purgatorio mundari animas à peccatis ex hoc mundo adhuc residuis, sequitur, antequam ad cœlestia gaudia admittantur, omnem animam sic purgari: Sed falsum prius: non enim taliter purgati sunt, Latro cum Christo cruci affixus, non ij, quos dies novissimus apprehendet sive vivos, sive nondum plenè

nè:

nè perpurgatos; Ergò falsum posterius, quòd necessarium sit huius-
modi purgatorium.

CLXXV. Conclusionem generalem demonstrationi ad-
dimus: Ergò doctrina de purgatorio non est necessa-
rium Christianæ fidei dogma, sed impium, ve-
requè Antichristianum figmentum.

Deo soli gloriâ.





T moriari pius, meditare novissima:
restat

*Post obitum vox hæc; ITE, VENI-
TE, tuum.*

Vt benè discedas, ADRIANE, novissima tractas:

Digna tuâ satis est materia illa viâ.

I comitante DEO, studiis & alacriter instâ:

Magna tibi crescunt præmia, magnus honor.

Frid. Balduinus D.



Ad

Humanissimum & literatissimum virum-juvenem

M. ADRIANUM STODERTUM

*de statu animarum post mortem, cum pri-
mis de Purgatorio, publicè disputantem.*

F Rigebant loculi Papæ; succenditur ignis:

Nec frustra; subitò curia tota calet.

Sed caluit: Tandem Verbi fons Entheus ignem

Exstinxit, vires nec reparare potest.

Tu quoq; fundis aquam, ut cui purgatorius ignis

Lucet adhuc, purum non queat esse caput.

Perge ita, sic JOVÆ bonitas benedicere perget:

Cultorem Eusebie scit decorare suum.

Balthasar Meisnerus D.

Coll. Diss. A 183, misc 16